INSTITUTIONES ORATORIAE, SIVE DE CONSCRIBENDIS...

Conrad Dieterich, Giacomo Brilia

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
37 D
30
II. IV. 18.
III. 1. 14.
M
f. 2

INSTITUTIONES ORATORIÆ,

Sive

DE CONSCRIBENDIS

Orationibus, è veterum ac recentiorum Oratorum præceptis, methodica introductio;

in uſum

Juventutis Scholaſticæ illuſtratæ,

à

CUNRADO DIETERICO,
SS. Theol. Doctore.

Editio nova, reviſa, correcta, ſchemate Logico-Rhetorico practico amplificata.



AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM RAVESTEIN.
CIƆ IƆ C LIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Illuſtri & Generoſo Domino

D. WOLFGANGO-

Andreæ L. Baroni ab Herberſtein/ Domino in Gutenhaag / Neubergh & Lancowitz / &c.

Domino meo multum honorando.

QUo fine antehac in illuſtri Academia Gieſſena Inſtitutiones non tam Rhetoricas, quàm & Oratorias omnium primò conſcripſerim, conſcriptas verò annis abhinc præter propter ſeptendecim, typis publicis evulgarim, non opus judicio, ut à capite uſque ad calcem operosè repetam: Requirebat namque id officii, quo tum fungebar, ratio,

diſcipulorum item, quibus præfectus eràm conditio. Ad eaſdem verò quod animum nunc quidem, poſtliminiò quaſi, applico, cum alia ſit officii, quo impræſentiarum defungor, ratio, auditorum item, quibus præfectus ſum, conditio, id verò, quia aliud genus remi, multis videbitur fortean inſolentius, nec non à profeſſione mea alienius, cum omiſſa hypera, pedem, quod in proverbio eſt, ſecter, ſpretiſque quæ magis ad rem, & meam & publicam attineant, levicula quædam ex ipſorum opinione, pacurem. Verùm enim verò facilè patiar eos, qui ita ſentiunt, abundare ſenſu ſuo: Habeo interea ego domi meæ cauſas meas, eaſque prægnantes ſic ſatis, quibus motus, manum de novo operi huic meo Oratorio admovi, quas eò minus hi, qui emunctioris naris ſunt, & quid album, quid nigrum, noverunt, cenſoriâ virgulâ notabunt, quò cuique jus ſuum in rem ſuam, illibatum conſtare debere, ſincerius judicabunt. Enutriunt

triunt parentes non ſolùm liberos ſuos, ſed & quamdiu in vivis ſunt, nihil quicquam, quod ad perfectionem ipſorum faciat, intermittunt. Quidni ergo idem juris ſcribentibus in Libros ſuos eſſet? Incuria parentum liberi, liberiori aliorum conſuetudine, hos vel illos nævos facilè contrahunt, & tantùm non de die in diem in pejus ruunt: quos ſi parentes non corrigerent, & in melius, id quod pejus videbatur, converterent, næ officio ſuo vel maximè deeſſent. Quid ni ergo & ſcribentes librorum ſuorum nævos pari jure corrigerent, & quæcunque crebriori eorundem recuſione, irrepta errata evellerent? Quandoquidem ergo & Oratoria hæc mea præcepta, commune cum aliis libris fatum ſubierunt, dum iteratis editionibus aliquot incorrectiora ſemper prodierunt, mei utique officij erat, ut ſublatis, quæ incuriâ typothetarum irrepſerant, mendis, puriora tandem in lucem publicam emitterentur. Id quod eadem fide ac integritate in Oratoriis his qua paulò

antè & in Rhetoricis ac Logicis præceptis à me præſtitum eſt. Reviſam autem hanc Inſtitutionum mearum Oratoriarum editionem Illuſtri Generoſitati Tuæ, Illuſtris ac Generoſe Dn. Baro, inſcribere ac dedicare, ob cauſas non leves, ſed urgentes, meo judicio, & graves placuit. Uteris convictu meo domeſtico in annum alterum, ex quo etiam in illuſtri Schola noſtra, magno cum ſtudiorum tuorum fructu, non ſine ſingulari Præceptorum claſſicorum commendatione, verſaris. Specimina eruditionis tuæ, exercitiis aliquot Oratoriis, in publicis Scholæ noſtræ congreſſibus edidiſti, in quibus te virum præſtitiſſe unanimi applauſu, conteſtati ſunt, quotquot dicentem te è ſuggeſtu & viderunt & audiverunt, eoque ipſo magnam de Te ſpem omnibus ac ſingulis, magno cum honore tuo, concitaſti. Ut igitur meam in Te obſervantiam non ſolùm publicè conteſtatam redderem ſed & majorem in ſtudiis humanioribus, Oratoriis præ-

ſertim,

ſertim, alacritatem in te excitarem adeoque publicum illuſtribus ac laudabilibus conatibus tuis calcar adderem ſub Ill. Generoſitatis tuæ nomine novam hanc inſtitutionum mearum oratoriarum editionem, in lucem emittere volui. Certum namque ac ſaniorum omnium calculo comprobatum ſcio illud Poëtæ:

Acre & ad palmæ per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Nec minus in eruditorum ſubſelliis in dubium ac unanimi doctorum ſuffragio ſtabilitum, Oratoriæ in quocunque vitæ ſtatu, merito ſuo, primas deferendas, novi, ut quæ *maxima cum felicitate*, quod Ariſtides Rhetoric. *Orat. 1. Platonica*, dicebat, *à Diis primum ad homines devenit, atque inter humana bona & nunc & in poſterum cenſenda eſt. Non leve* ſiquidem, B. Nazianzeni judicio, *ad augendum animi robur momentum iis adfert, qui ad virtutis ſtadium accinguntur*: ſed & ſingularem præ aliis, his, qui Politici futuri ſunt, exiſtimationem conciliat, ac

 orna-

ornamentum illuſtre addit, ideoque à primis quaſi ephæbis illis colenda, omnibus ſtudiis ac actionibus præponenda, non ut populo adulentur, aut vulgus ſpectent, aut opes inde acquirant, id enim non Oratorum, ſed mercenariorum eſt, ſed ut ipſa dicendi facultate capiantur, eaque ipſa, ſi vel Dei gloria, vel Reipubl. ſalus, vel rei privatæ commoditas vel vitæ communis utilitas, ita exigant, legitimè utantur fruantur. Quin & ſi neutrum horum ſit, ejuſdem ſola poſſeſſione, ut quæ in ſe jucunda, decora, ac homine ingenuo digna, acquieſcant, eâdemque ſe oblectent ac recreent. Quemadmodum enim ebrioſi nihili faciunt, ſi eos nemo ſciat bibere, nec mulierum amatores ad aliorum arbitrium voluptati ſuæ ſtudent, verùm, ſi amatis potiantur, ſufficit: ſic & liberalia ac illuſtria ingenia, in Oratoriæ ac Eloquentiæ ſtudio verſantur, eoque reliquorum loco utuntur, ut voluptatem inde ac oblectationem, quæ liberum hominem deceat,

per-

percipiant, nec ullam inde, etiamſi nemo vicinorum ſit conſcius, jacturam faciunt. Quod uſque adeò mirum non eſt, cum & eum, qui artis Medicæ peritus eſt, Medicum vocemus, quamvis artem publicè non exerceat, & Politicum dicamus, qui civilem habet ſcientiàm quamvis alioquin ſuas res agat.

Quidni ergo & Oratorem habeamus eum, qui licet publicum Oratoris munus non obeat, dicendi tamen facultate ſit imbutus, eademque ſe privatim domi oblectet, foris etiam, pro re nata, quandoque in rem tàm communem quàm privatam utatur. De quibus & aliis plura dicerem, niſi id ab inſtituto meo alienum eſſet. Ad id ergò, quod caput rei eſt, me confero.

Exhibeo hiſce, Illuſtris & Generoſe Domine Baro, Illuſtri nomini Tuo inſcriptum ac dedicatum munuſculum hoc meum Oratorium, id ea, qua offertur, fronte & mente, ut accipias, fronte ſcilicet ſerena ac

mente benevola, eſt, quod impensè abs Te efflagito Levidenſe illud eſt, fateor, quia chartaceum eſt, & ſic nec nomini, nec ſplendori Tuo reſpondet. At quia ab eo, qui illuſtris nominis, honoris ac ſalutis tuæ, nimioperè obſervans ac ſtudioſus eſt, proficiſcitur, gratum, ſperabo, & acceptum tibi erit vel maximè, utut exile in ſe ac vile eſt. Idem ſtimulum Tibi & calcar ad majora indies in ſtudiis humanioribus ac Politicis tentanda ac prenſanda, addat; quò ad intimiora eorundem adyta feliciter penetrare, & per hæc exoptatum ipſorum culmen laudabiliter cum Deo, pertingere aliquando queas Habes eam ad rem illuſtria, in illuſtri & perantiqua Familia tua, tàm paterna quàm materna, antiqua ac recentia Majorum Tuorum laudatiſſimorum exempla, ut qui militiæ utriuſque, togatæ æquè ac armatæ, fuerunt ſemper ſtudioſiſſimi, multi etiam publicis ſcriptis, nomen ſuum æternitati conſecrârunt, & per uni-

verſum

verſum orbem, etiam ultra ſydera, clariſſimi evaſerunt. Horum veſtigia, nunquam ſatis decantata, ut ipſe indefeſſo ſtubio premas, proprio etiam Marte & arte Tua illuſtres, ipſa pietas, ipſa virtus, ipſa domus Tua, ipſum ſtemma Tuum, ipſe generoſus avitus ac patritus, quo cretus es, ſanguis Tuus, Te, quantum poterunt, exſtimulabunt, ne in minimis hæreas, ſed à bono in bonum tranſiens, in maximis aliquando eſſe cum honore queas. Pondus his & momentum omne addet deſiderium Illuſtris & Generoſæ Dominæ matris Tuæ, D. ELISABETHÆ SENISIÆ, L. B. in Herberſtein / &c. matronæ pientiſſimæ, Dn. meæ clementis & benigniſſimæ, quæ poſt devotam ſuam in Deum pietatem, & ardentem in religionem noſtram Euangelicam zelum, omnem in Te, filium ſuum unigenitum, ſpem & exſpectationem defixam habet, nihil quâ dies quâ noctes in votis ſuis piis ultra habens, quàm ut ſincerâ Reli-

gione

gione noſtra, (quam propter ipſa Tecum patriâ & ditionibus ſuis ampliſſimis exulare, quàm Pontificio ſeſe regno mancipare maluit) vera item pietate imbutus, nec non ſtudiis, moribus ac virtute excultus, aliquando Deo, Eccleſiæ, Religioni, Patriæ, & bonis omnibus inſervire pro virili queas. Sanctiſſimum ergò hoc votum, ut ſanctè ad nutum maternum explere queas, quibus poteris conatibus ac viribus, etiam atque etiam proſpicies. Hoc nihil unquam religioſius, nihil juſtius, nihil honeſtius, nihil laudabilius, nihil fructuoſius facies, quicquid etiam facies. Ut facias, faciat is, qui faciendi facultatem unus & ſolus habet & largiri poteſt, Deus ter Opt. Max. cujus gratiæ Te & ſtudia Tua piè commendo. Ita ſalve, ita vale, Illuſtris & Generoſe Domine, & ſpem bonorum quorumvis Illuſtrem de Te conceptam, ubicunque locorum ac terrarum fueris, feliciter auge, viriliter imple, laudabiliter excede. Scrib. in

Muſæo Ulmæ, Calend. Mart. Anno 1630.

Illuſtr. Generoſ. T.

Studiosè colens

CUNRADUS DIETERICUS D.

LECTOR

LECTOR
BENEVOLE,
SALVE!

IN conſcribendis his oratoriæ Inſtitutionibus, qualenam conſilij propoſitum habuerim, ſub primam earundem editionem jam olim præmonui. Repeto id ſaltem pauciſsimis. Invenies hîc Methodicam duntaxat conſcribendarum Orationum introductionem, id quod Titulus pollicetur, non abſolutum & omnibus modis perfectum artificij hujus opus. Sicut enim in ſcriptis meis aliis, Scholaſticæ juventutis profectum præcipuè reſpexi: ita & in hâc introductione eorundem me accommodare captui inprimis volui. Quæ res fecit, ut generalia duntaxat præcepta,

ta, de partibus Orationis Oratoriæ, de diſtinctis item cauſarum generibus, aliis Oratoriæ partibus, ipſorum profectui & captui accommoda, propoſuerim, eademque vulgatis ac tritis exemplis, pro re nata, declarârim: Reliquis vel non notatis vel obiter enumeratis, vel ad ſuperiorum dicendi Magiſtrorum Scholas relegatis. Quid enim opus eſt, vel minima etiam, junioribus enucleatim proponere & inculcare, vel incognitis eadem exemplis illuſtrare? Profectò hoc qui agunt, nil aliud agunt, quam quod imperitiam ſuam, in informanda juventute Scholaſtica, produnt, ingenia diſcentium non neceſſariis obruunt, & tantum non obtundunt. Hîc diſcipulorum qui ſe ingenio accommodare norunt, me judice, omnium optimè ſapiunt: hoc qui non norunt miris modis, quod res ipſa docet, deſipiunt. Vt ſapias ergò in explicandis ac inculcandis præceptis claßicis, præceptor, etiam atque etiam proſpice, potioremque diſcipuli, ſi bonus es, rationem, quàm tui habe. De exercitiis Logicis, Rhetoricis ac Oratoriis practicis ſub finem te monebo, ubi præmoni-

monitionem de iiſdem cum annexo ſchemate aliquo invenies. Interea vale, & his feliciter utere ac fruere, Lector benevole!

DE

DE CONSCRIBENDIS ORATIONIBUS.

CAPUT I.

1.

ORATORIA eſt facultas benè, ornatè & copioſè dicendi.

[*Quid differat Oratoria à Rhetoricâ ſup. lib. 1. Inſt. Rheth. c. 1. notavimus. Oratoria namque omninò alia à Rhetorica ars eſt, cùm non hujus tantum præcepta ad uſum transferat, ſed & plurimarum aliarum facultate opus habeat, id quod praxis ejuſdem ad oculum demonſtrat.*]

2. Materia Oratoriæ ſubjectà eſt Quæſtio.

[*Alii quæſtionem Oratoris ſubjectum eſſe dicunt. Verùm eodem res recidit. Beneficio ſiquidem Oratoriæ circa quæſtionem Orator verſatur. Definitur vulgò* Orator vir bonus

 dicendi

dicendi peritus. *Dicendi autem peritus Oratoris beneficio evadit.*]

3. QUÆTIO eſt, quicquid ad dicendum proponitur.

[*Accipitur igitur hoc in loco Quæſtio generalius, non tantum pro re dubia* AN ſit? *quomodo vulgato aliàs more definiri ſolet, ſed etiam* QUID ſit? QUALE ſit? *hoc eſt, ut uno verbo dicam,* pro quacunque re, de quâ diſſerere licet & libet. *Vbi ſemel* nota: *Quæſtionem tractandam non in Oratoria inveniri, ſed eidem undecunque ex aliis ſcientiis offerri. Hic verò duntaxat locos causarum tradi, è quibus pro varietate negociorum tractari poſſit.*]

4. Eſtque duplex: Infinita & Finita.

5. QUÆSTIO INFINITA eſt, quæ rem generaliter & indefinitè ſine circumſtantiis (*perſonarum, temporis, loci, rerum*) proponit. *Dicitur alias* θέσις, ut, *Súntne artes amplectendæ? Eſtné uxor ducenda? An homo jure interfici poſſit?*

[*Alii ſic definiunt:* Quæſtio infinita eſt, quæ ex vocabulis ſive nominibus appellativis conſtat. *Latinè* conſultatio & propoſitum *nominatur. Voël. gener. artif. contexendæ Orat. c. 1.*]

6. QUÆS-

*6. QUÆSTIO FINITA eſt, quæ rem certis circumſtantiis finitam proponit. *Gracè dicitur* ὑπόθεσις, ut *Súntne artes* Georgio *Landgravio Haſſiæ amplectendæ? Eſtné* Matthiæ *Imperatori bellum gerendum contra Turcam? Licitúmne Catoni ſeni uxorem ducere? Recténe Cain Abelem interfecit?*

[*Alii ſic definiunt:* Quæſtio finita eſt, quæ ex nominibus propriis conſtat. *Latini* cauſam *ſive* controverſiam *appellant, Voël. alleg. loc. Vbi obiter* nota: *Quandoque transferri quæſtionem infinitam ad finitam, quæ dicitur* Tranſlatio θέσεως *ad* ὑπόθεσιν: *& contra: finitam ad infinitam, quæ* Tranſlatio *dicitur* ὑποθέσεως *ad* θέσιν. *Hæc tranſlationis forma ſingularem in materiâ amplificationum uſum habet, veluti in ſeqq. monebimus.*]

7. Quæſtionis tractatio fit legitima Orationis diſpoſitione & exornatione.

8. Diſpoſitio convenienti partium Orationis in genere cauſarum tractatione perficitur.

9. Exornatio verò Elocutione, tropis ſcilicet & figuris, abſolvitur.

[*Poſterioribus his tribus theorematibus univerſæ facultatis Oratoriæ nucleus conti-*

netur, quem qui attingere voluerit, nucem hanc frangat prius neceſſe fuerit, hoc eſt, ante omnia, quomodo quæſtionis argumenta ſint investiganda & invenienda; inventa verò diſponenda; diſpoſita autem exornanda ſtudioſiſſimus indagator erit, Hoc ut cum fructu Oratoriæ tyrones facere queant, ſic procedant.

1. Cum in omni Quæſtione, de qua Oratori dicendum, ſint partes duæ, quarum altera ſubjectum (Antecedens Ramæi nominant) altera prædicatum (conſequens iidem, alii partem attributam indigitant.) Quæ ſit inter hæc ipſa duo affectio Logica, (an puta, cauſæ & effecti, vel Subjecti & Adjuncti &c.) ante omnia inquirant.

2. Quid tùm ſubjecti tùm prædicati nomine declaretur inveſtigent.

3. Subjectum prius, deinde & prædicatum per ſingula Inventionis Logicæ argumenta deducant, inquirentes, quæ horum ſubjecta, quæ adjuncta, quæ ſingulis ut oppoſita & contraria repugnent: quæ vel ut paria, vel ut imparia, majora & minora illis comparentur: quæ ſimilia vel diſſimilia ſingulis reſpondeant: quæ cujuſque ſint conjugata & notatio: quæ diſtributio, quæ membra vel ſpecies, quod totum & genus, quæ definitio & deſcriptio &c.

4. Syncategoremata, ſi quæ vel ſubjecti vel prædicati fuerint, eodem ordine in inveſtigatione eorundem procedent.

5. Cognitâ,

5. Cognitâ, hac ratione, quæſtione & vi ſingularum ejus partium perſpectâ, ad quodnam cauſarum genus, num ad deliberativum, an demonſtrativum, an judiciale, &c. res, ſive propoſita quæſtio referenda, diligenter conſiderent.

6. Genere autem certo cauſæ deprehenſo, occurrentes in eodem argumentorum locos ad præſentem materiam utiles inſpiciant, & ad hos ipſos eruta inventionis argumenta examinent atque expendant.

7. Eadem autem non omnia (ſingula enim ſingulis locis & ſingulis rebus applicari non poſſunt) adhibeant, ſed præcipua duntaxat ad quæſtionem explicandam & probandam maximè convenientia & idonea ſeligant. Ubi nihil intereſt, ſi nonnunquam vel unum vel plura pro quæſtionis qualitate adhibeant.

8. Argumenta ad quæſtionem tractandam peritè & legitimè accommodent.

9. Præcipuè autem ut illationem Syllogiſticam artificiosè occultent, provideant, cum affectiones cryptilæ, utputa Syllogiſmi inverſi, Enthymemata, Inductiones, Soritæ, Exempla, Dilemmata, Oratoribus vel maximè ſint uſitata.

10. Denique Elocutionis Exornationem toti orationis corpori venuſtè interſpergant, argumenta variis figurarum & troporum luminibus illuſtrando & amplificando.

11. Hic ne offendant: Legitimam 1. verborum diſpoſitionem. 2. Amplificationum rationem habeant.

12. Diſpoſitio verborum vel eſt naturalis, vel artificialis.

13. In naturali diſpoſitione anteponenda

1. Genera ſpeciebus.
2. Communia propriis.
3. Remota proximis.
4. Divina humanis.
5. Magiſtratus ſubditis.
6. Vir mulieri.
7. Dies nocti.
8. Ortus occaſui, &c.

14. In artificiali 1. Obſervandus numerus Oratorius, ut Oratio majori & ſono & aurium voluptate excipiatur.

2. Emphatica aut ab initio, aut in fine ponantur.

3. In concluſione verba plerunque non nomina adhibeantur, niſi melius cadant nomina & majorem vim habeant in fine collocata.

15. Amplificationibus inprimis inſerviunt figuræ, quas vocant, amplificationum, itemque extenuationes. In his verò 1. conveniens locorum communium inſertio. 2. tranſlatio hypotheſeos ad theſin vel maximè excellit.

Atqui hæc generaliſſima ſunt totius diſpoſitionis & exornationis Oratoriæ emblemata. ὡς ἐν τύπῳ. craſſa tamen Minerva delineata.

Porrò

Porrò exornationem Elocutionis, quod concernit, variis figurarum floſculis ea ipſa, quæ Syllogiſmis undè concluſa, ſunt exornanda, locupletanda, rerum varietate diſtinguenda, ſimilia, diſſimilia, apophthegmata, ſententiæ & exempla ad rem accommodata, hoc eſt, quæ vocibus in themate ſive quæſtione, nec non in unoquoque ejuſdem argumento vel partibus omnium ratiocinationum propoſitarum poſitis reſpondeant, vel repugnent, undique colligantur. Cujus rei gratiâ ſedulo admonendi Præceptores & Ludimagiſtri, ut artificij Oratorij Tyrones 1. ad terſas & elegantes phraſes è Cicerone, Cæſare, Livio, Plauto, Terentio, aliisque bene dicendi & latinitatis Magiſtris deſumptas, aſſuefaciant.

2. *Supellectile phraſium & elegantiarum Latinæ linguæ feliciter ſic comparata & acquiſita, thema ſive quæſtionem aliquam diſcipulis ſuis proponant, quam variato Orationis habitu per omnes troporum & figurarum modos ſive ordines diducendo, eâdem tamen ſententia in ſingulis variationibus permanente, ſtudioſè tractent.*

3. *His feliciter exercitatis themata Epiſtolarum faciliora, item ſententiarum & Quæſtiuncularum leviorum, pertractanda ipſis proponant.*

4. *Graviora denique Declamationum exercitia copioſius adornanda provectioribus præſcribant.*

5. Omnibus his & ſingulis ſtudii Oratorii exercitationibus felicius & facilius perficiendis, adhibeant utiliſsimum inprimis Eraſmi tractatum de copiâ verborum & rerum pro Tyronibus à L. Loſsio in certas quæſtiones & reſponſiones redactum cum ejuſdem Colloquiis & Adagiis ſive Proverbiis. Item Polyantheam Langii, in qua ſegetem copioſam invenient, Scripturæ teſtimoniorum, ſententiarum Patrum, Poëtarum, Oratorum, Apophthegmatum, Similitudinum, Hieroglyphicorum: nec non Similia & Diſsimila Dardrai; &, quod reliquis omnibus præferendum, magnum illud Theatrum Zwingeri, opus inexhauſta rerum multiplicium copiâ refertiſsimum, & ſiquæ ſunt in eandem ſententiam edita Doctorum ſcripta alia, è quorum lectione cornucopiæ ſibi Oratoriæ ſtudioſi comparabunt, quò utiliſsimè & feliciſsimè in conſcribendis Orationibus uti poterunt. Vbi tamen cautio hæc ſtudiosè attendenda. In collectionibus exornationum ne nimis multa undiquaque corradentur, & abſque judicio in chartam conjiciantur: Sed juſta judicii diſertione ligitimè immiſceantur. *Tenendus enim in inſerendis iiſdem eſt modus: Cùm & pauca hîc ſufficere poſſunt.*

Atqui hæc de Quæſtionis infinitæ inveniendis & inventis collocandis, diducendis & exornandis argumentis pro tyronum captu dicta ſufficiant, plura de iiſdem apprimè neceſ-

ſaria

ſariatradidit Iohan. Voël. general. artif. contex. Orat. à cap. 1. uſque ad 13. *Itemque Cypr. Soar.* Rhet. lib. 1. cap. 4. & ſeqq. *D. Treutler.* Theſaur. eloquent. cap. 2. & ſeqq. *Scholl.* prax. Rhetor. ſchola 4. *& alii plurimi. Nos nihil hic nimis enucleandum judicavimus, tùm minuta ſit omnis diligentia, hic autem locus grandia requirat, quod monet Suar.* lib. 1. Rhet. cap. 41. *Hoc tamen cum Voël.* cap. 1. è Quintil. lib. 5. 10. *ſub finem monendum putamus.* Si finita quæſtio tractanda proponatur, diligentius perveſtiganda eſſe omnia, quæ iis rebus, quæ propriis nominibus ſignificatæ ſunt, peculiariter, tribuuntur, ſive perſonæ demum illæ ſint, ſive loca, ſive cujuſque generis alia. *Sic ſi, exempli gratiâ, propoſita theſis transferenda ſit ad hypotheſin:* Súntne artes liberales Georgio Landgravio Haſſiæ amplectendæ? *Hujus & perſonæ & ſtemmatis principalis & illuſtriſſimorum majorum, cognatorum, agnatorum, affinium & avorum, qui, quàm diligentiſſimè in literarum ſtudiis ſeſe exercuere, ratio ſtudioſè attendenda, aliaque circumſtantiæ plures diligentius perveſtigandæ erunt. Mira ſiquidem inde in perſonarum commendationibus Orationis gratiâ effloreſcit.*

CAPUT II.

1. Partes Orationis Rhetoricæ ſunt ſex.

1. Exordium, προοίμιον.
2. Narratio, διήγησις.
3. Propoſitio, πρόθεσις ἢ κατάστασις.
4. Confirmatio, Κατασκευή.
5. Confutatio ſive Refutatio, ἀνασκευή.
6. Peroratio, ἐπίλογος.

[*Cum quæſtionis tractatio fiat legitima Orationis diſpoſitione: & verò diſpoſitio convenienti partium Orationis in cauſarum genere tractatione perficiatur, quod diximus cap. præcedentis theoremate* 7. & 8. *ipſa methodi lex jubet, ut doctrinam partium Orationis Rhetoricæ ſubjiciamus, quæ quidem diſpoſitionem Oratoriam, ſumma diligentia Oratori attendendam, concernit. Excellentis ſiquidem Ducis virtus non magis in diligendo fortiſſimo & ſtrenuiſſimo quoque milite ad bellum, quàm in inſtruenda ad pugnam acie cernitur, appoſitè ſcribit* lib. 7. in Præfat. *Quintilianus: & ſi quam in corporibus noſtris aliorúmve animalium partem permutes atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium ſit tamen. Et artus etiam leviter loco moti perdunt, quo viguerunt, uſum:*

&

& turbati exercitus ſibi ipſi ſunt impedimento. Sic Oratio carens hac virtute tumultuetur neceſſe eſt, & ſine rectore fluitet nec cohereat ſibi: multa repetat, multa tranſeat velut nocte in ignotis locis errans, nec initio nec fine propoſito, caſum potius quàm conſilium ſequatur. Cyprian. Soar. lib. 2. Rhetoric. cap. 1. *Vnum hic* nota: *Alios facere partes quinque. Quartam enim nominant* contentionem, *ſub qua comprehendunt confirmationem & confutationem.*]

2. Harum aliæ ſunt principes, aliæ minus principes.

[*Diſtributio ex adjuncta neceſſitate.*]

3. Principes ſunt, quæ nunquam omitti poſſunt: quales ſunt: Propoſitio & confirmatio.

4. Minus principes ſunt, quæ aliquando omitti poſſunt: Quales ſunt: Exordium, Narratio, Confutatio, & Peroratio ſive Epilogus.

[*Vbi* nota 1. *Ordinem partium Orationis enumeratum eſſe vulgatum, non tamen preciſè in omni Oratione neceſſarium. Non enim hæc series partium ſunt leges de rebus capitalibus in æs inciſæ: Nam ſæpe loco mutantur & interdum cedunt utilitati, Federic. Cærut.* comm. in cap. 1. lib. 2. Suar. *Sic Cicero quædam præjudicia in cauſa Milonis tractat ante Narrationem,*

tionem, & pro Sylla confutatio præcedit Confirmationem. Quod quidem accidit ob diverſas occaſiones Oratori oblatas, ad præſentis cauſæ, perſonarum, locorum, temporum, conditionem, Dn. Chytr. Rhet. de Diſpoſit. f. 202. Nota 2. Exordium interdum omitti poteſt, *cùm res, de qua agitur, non eget, ut ad reliquam dictionem judicis animus præparetur. Similiter* 2. Narratio, *cùm circumſtantiarum ad cauſam, aut rerum ad cauſam pertinentium expoſitione non eſt opus. Item* 3. Confutatio, *cùm res ex allatis in confirmatione argumentis tam perſpicua & manifeſta eſt, ut objectiones contrariæ aut per ſe corruant, aut è dictis facili diſcretione refutari nequeant. Nec non* 4. Concluſio *ſive Epilogus cum paucis vel uno etiam argumento probatum eſt, quod intendimus.* Nota 3. *Inter enumeratas Orationis Rhetoricæ partes Exordium & Peroratio valent ad impellendos ſive conciliandos animos. Narratio verò & Contentio ſive Confirmatio & Confutatio ad docendum & probandum.* Nota 4. *In exordio locum habent motus leniores ſive τὰ ἤθη. In Peroratione verò vehementiores ſive τὰ πάθη. Narratio docet ἁπλῶς. Contentio verò cum motu & amplificationibus.*]

CAPVT

CAPUT III.

1. EXORDIUM eſt, prima pars Orationis ad præparandos auditorum animos comparata.

[*Exordium idem eſt quod initium, ab exordiendo ſive, incipiendo ſic dictum, quod initium Orationis conſtituat. Ariſt.* 3. *Rhet.* προοίμιον *vocat. Græcis eſt* ἡ ἀρχὴ καὶ εἰσβολὴ τοῦ λόγου. *Cicer.* 1. *ad Heren.* principium Orationis *definit*, per quod animus auditoris vel judicis conſtituitur, vel præparatur ad audiendum. *At cum & ipſe judex ſit auditor, generatim ſub auditorum nomine rectè comprehenditur.*]

2. Eſtque duplex: vel rectum ſive apertum, vel obliquum ſive occultum.

3. Exordium rectum ſive apertum eſt, in quo ſtatim & aperte auditorum animos præparamus, & rem ipſam, de quâ dicturi ſumus, citra circumitionem ullam indicamus, *dicitur aliàs* Proœmium.

[*Tali exordio utitur Eſaias c.* 1. 2. *Audite cæli & auribus percipe terra, quoniam Dominus*

nus locutus eſt. Tali etiam Cicero utitur in Oratione pro Archia, cujus hæc ſumma eſt: Meritò Archias à me defenſionem ſui petit. Nam ille me ab ineunte ætate literis, præſertim verò eloquentiæ ſtudio informavit. Si itaque mea hæc eloquentia profuit, multò magis huic Archiæ, à quo excitata primum fuit, prodeſſe debet: *Quòd quidem Exordium Oratorio ſtylo Cicer. hunc in modum pertractat.* Si quid eſt in me ingenii, judices, quod ſentio, quam ſit exiguum, aut ſi qua exercitatio dicendi, in quâ me non inficior mediocriter eſſe verſatum: aut ſi hujuſce rei ratio aliqua ab optimarum artium ſtudiis & diſciplinis profecta, à qua ego nulla confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe; earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere ſuo jure debet. Nam quoad longiſſimè mens mea reſpicere poteſt ſpatium præteriti temporis & pueritiæ memoriam recordari ultimam: inde uſque repetens, hunc video mihi principem & ad ſuſcipiendam & ingrediendam rationem horum ſtudiorum, extitiſſe. Quòd ſi hæc vox hujus hortatu præceptiſque conformata, nonnullis aliquando ſaluti fuit: à quo id accepimus, quo cæteris opitulari & alios ſervare poſſemus: huic profectò ipſi, quantum eſt ſitum in nobis, & opem & ſalutem ferre debemus, &c. *Vnum* hic nota. Exordio recto ſive aperto utendum eſſe in causâ honeſtâ: *Sic honeſtum erat Ciceroni defendere doctum & excellentem Poëtam Præ-*

ceptorem

ceptorem ſuum. Itaque & aperto Exordio in cauſa ejus utitur.

4. Exordium obliquum ſive occultum eſt, in quo occultè & circumitione aliqua auditorum animos ſubimus, *dicitur aliàs* Inſinuatio.

[*Sic dictum; quia hoc ipſo obliquè & latenter quaſi nos inſinuamus. Græci vocant* πρόληψιν & προκατάληψιν. *Tali utitur Cicero in Oratione pro Milone, cujus hæc eſt ſumma.* Perturbor hâc novâ forma judicii, quia forum armatis eſt ſeptum cohortibus. Sed tamen exiſtimo hæc arma non diſpoſita eſſe contra nos, ſed pro nobis & communi tranquillitate. Quare vos, judices, hortor, ut depoſito armorum metu liberè de optimo cive decernatis. *Videatur Oratio ipſa. Hac etiam Simon Æneid. 2. utitur ſtruens initio vera confeſſione fidem ſequentibus mendaciis.*

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint, quæcunque fatebor.
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo.

Vnum & hic Nota. Exordio obliquo utendum eſſe 1. in causâ turpi & aliena ab hominum opinionibus: *ut laus Moriæ, hoc eſt, Stultitiæ, Commendatio Helenæ.* 2. Cùm auditores jam ante ab iis, qui dixerunt aliter, videntur perſuaſi: *ut in Orat. pro M. Cælio.* 3. Cùm defeſſi

deſeſſi ſunt audiendo. *Huic namque faſtidio occurrendum eſt faceto aliquo dicto, vel fabula, vel hiſtoria, ut auditores ad audiendum excitentur.*]

5. In Exordio conſiderandæ ſunt, 1. Cauſæ, 2. Fines, 3. Affectiones.

6. Cauſæ Exordiorum deſumi poſſunt ab omnibus argumentis Logicis, potiſſimum verò 1. à Subjecto, hoc eſt, reipſa.

[Ἐκ τοῦ πράγματος, *cùm ſcilicet ſine ambagibus ſtatim à re ipsâ, de quâ dicturi ſumus, ſine propoſitione incipimus. Itaque plerunque Hiſtorici, Oratores & Poëtæ à re ipsà ordiuntur. ut Virgil.* 1. *Æneid.*

Arma virumque cano.

Ovid. 1. *Metamorph.*

In nova fert animus mutatas dicere formas.

Corpora, &c.]

2. à Subjecto occupante, perſonâ ſcilicet vel noſtrâ, vel auditorum, vel adverſariorum.

[*Græcè dicitur* ἐκ τῶν προσώπων. *Vbi* nota 1. *Cùm* à noſtrâ perſonâ *exordium ſumimus, verecunda quæpiam extenuatio noſtri ingenii, facundiæ, perſonæ, prudenter adhibenda, omnique ſtudio arrogantia & Thraſonica vanitas fugienda. Ne ſit tamen extenuatio immodica.*

dica. Officit namque 1. exiſtimationi dicentis. 2. Auditori eſt moleſta & odioſa. Tali utitur Cicero pro Roſc. & Paulus in Epiſt. ad Galat. ubi ſuam perſonam cùm reliquorum Apoſtolorum confert. 2. *Cùm* ab auditorum perſonâ, *verecundo ac gravi encomio laudes eorum celebrandæ: non tamen nimis extollendæ. Eſt enim ingratum & adulationis ſignum. Tali utitur Paulus in Epiſt. ad Roman. ubi fidem Romanorum laudat.* 3. *Cum* ab adverſariorum perſonâ, *non certandum cum eis maledictis, convitiis & calumniis, ſed bonitate rerum & Orationis gravitate ac modeſtia adverſarii vincendi. Tali utitur Cicero contrà Saluſtium in Vatin. in Verrem.*]

3. A causâ impulſivâ, quæ nos vel ad dicendum vel ſcribendum impulerit.

[*Eſt autem cauſa impulſiva duplex, vel* προηγουμένη *interior animi affectio, ut cùm oſtendimus, nos benevolentia aut charitate adductos ſcribere vel agere aliquid, vel* προκαταρκτική *exterior, objecto aliquo exteriori ſuaſionem ad agendum præbens. Tali exordio utitur Cicero in Orationibus quàm plurimis, ubi initio rationem ſuſceptæ defenſionis reddit, utputa in Verrem, pro S. Roſcio, pro Rabirio. Sunt hæc exordia vulgatiſſima, ubi Orationem habituri, ſe non ingenii oſtentatione neque glorìolæ captandæ ergò, ſed vel publica conſuetudine*

dine illectos, vel præceptorum juſſu ac mandato motos ad dicendum ſurrexiſſe &c.]

4. Ab adjunctis, Rei ſcilicet vel perſonarum qualitatibus, itemque circumſtantiis loci, temporis, moribus, conſuetudine.

[*Eſt & hæc Exordiorum ratio vulgatiſſima. Sic Thucydides hiſtoriam belli Siculi à Chorographia Siciliæ inchoat. Et Cicero à circumſtantia, Orat. pro Rege Dejotaro ſumit. A circumſtantia verò temporis Exordium Orat. pro M. Cælio. A moribus & conſuetudine exordium Orat. contr. Rullum. Eſt hoc more poſitum, Quirites, ut qui à vobis nobilitati, vobis gratias agant, &c. Hoc Exordiorum genere in deſcriptionibus dierum Feſtorum anniverſariorum, commendationibus S.S. Apoſtolorum & aliorum uſitatè utimur.*]

5. Ab affectibus, dolore ſcilicet, lætitia, gratulationibus, comprecationibus & ſimilibus.

[*Per affectus hoc loco qualescunque animi ſive cordis motus intelliguntur, quibus vel noſtram in rebus ſecundis amicorum lætitiam, vel in adverſis triſtitiam & condolentiam oſtendimus, ideoque ipſis vel gratulamur vel benè precamur. Sic Cicero pro Murena exordium ſumit à precatione ſeu voto, ut Murenæ*

conſu-

conſulatus ſit proſper & felix. Pro Publ. Sextio orditur à querela, quòd benè meritis non ſolum honos nullus habeatur, ſed quòd in capitis etiã diſcrimen conjiciantur. Pro Milone à perturbatione: Perturbat me non parum hæc nova judicii forma. Sic Paulus pleraſque ſuas Epiſtolas orditur vel à gratiarum actione, vel à comprecatione. Sic Chriſtiani omnium ſermonum ac negociorum ſuorum principia à Deo omnis bonitatis & ſapientiæ fonte ſumant: juxta tritum illud: Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιεῖν θεόν. A prece principium, de prece finis erit. Quisquis *enim, quod rectè monet Nazianz. in Apol.* vel Orationem aliquam vel negocium auſpicabitur: non alium meliorem commodioremque ordinem tenere poteſt, quam ut à Deo incipiat, & in Deo conquieſcat, & *Pindar. Od.* 10. *Pyth.* initium lætum & exitus fœlix à Deo petendus. *Qua de causâ in Concionibus, Diſputationibus & Colloquiis ſacris, plerumque Theologi à precatione ordiuntur. Sic in Gratulationibus exordium à lætitia ſumimus, dum lætari nos aliorum commodis, ſalute & honore ſignificamus. In Orationibus Funebribus initium à luctu ſive dolore, itemque cauſis, quæ nos ad lugendum moveant, ſumimus.*]

Denique 6. à teſtimonio, nimirum vel proverbio aliquo illuſtri vel inſigni ſententia.

[*Dicitur*

[*Dicitur hic locus χρεία καὶ γνώμη ſeu ſententia qualiſcunque, quæ ſcitè & dextre inſtituto noſtro accommodatur. Quomodo differat χρεία à γνώμη attingimus ſupr. lib. 1. Rhetor. de figur. Amplific. ex Genere theorem. 7. Alii addunt & hanc differentiam, quòd* Chreia *ſit dictum aliquod lepidum & utile, quod cum nomine auctoris citatur.* Gnome *verò ſignificet ſententiam, quæ aliquid moneat de vita & moribus rectè inſtituendis, Dreſſer.* Rhetor. fol. 68. *Exordia autem ex hoc loco ſumpta, mirifica ſuavitate lectorem alliciunt Chytr.* de Exord. Rhetor. fol. 209. *ideoque crebriora ſunt. Tali utitur Cicer. 3. Offic. In 2. Tuſcul. lib. 55. ad Catonem. Benè autem monet Dreſſerus* alleg. loc. *Et ſi difficile non ſit multa iſtiuſmodi exordia excogitare; artis tamen eſſe dextrè & bellè eadem ad inſtitutum ſuum poſſe accommodare.*]

7. Fines exordii ſunt præcipuè tres. Ut auditores 1. Benevolos, 2. Attentos, 3. Dociles reddamus.

[*His enim præcipuè animi auditorum præparantur. Ideóque & inprimis in exordio retinendi* Διὰ τὰς ὑπολήψεις, *propter hominum ſuſpiciones, quas vel de noſtra perſona, vel de reo, vel cauſa ipſa conceperunt, Et 1. quidem exordii finis eſt* Benevolentia, *ἡ εὔνοια ſive εὐμένεια, quæ præcipuè captatur in cauſa ancipiti & non ſatis bona. In honeſta enim cauſa non*

admodum

admodum opus eſt benevolentiæ conciliatione. Petitur autem benevolentia 1. à perſonis; *& quidem* 1. à perſona noſtra, *cùm ſcilicet vel ſubmiſſe & prudenter ingenium & vires noſtras extenuamus: vel ſtudium, pietatem, animum, officia & merita noſtra in Rempubl. in religionem, amicos, judices & auditores citra jactantiam commendamus: vel neceſſitatem noſtram, quod non temeritate quadam, ſed propter officium, cognationem, amicitiam, ad dicendum nos veniſſe explicamus:* 2. à perſona Rei, *cùm vel merita & virtutes, propter quas omnium favore dignus ſit, commemoramus: vel ſi ætatem ejus, conditionem, inopiam, ſolitudinem, calamitatem, prætendimus & commiſerationem movemus.* 3. à perſonâ auditorũ vel judicum. *Cùm breviter & verecundè, citra adulationis ſuſpicionem, vel ipſos, vel dicta, facta & virtutes ipſorum, inprimis verò ſapientiam in cognoſcendo, juſtitiam, integritatem, & conſtantiam in judicando commendamus: vel hominum ſpem aut exiſtimationem de ipſis exponimus: vel eorum laudem cum noſtra cauſa conjunctam oſtendimus.* 4. à perſona adverſariorum, *cùm vel in odium, ſcelera, & perfidiam eorum modeſtè detegendo, rapimus: vel in invidiam, ſuperbiam ipſorum, vim, faſtum, potentiam, divitias & factiones taxando, inducimus: vel eis contemptum, vanitatem ipſorum, ſegnitiem, obſcuritatem, inertiam, libidines, commemorando parimus.*

Vel

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Vel denique cùm nullo officio vel honeſta cauſa ad agendum inductos ipſos eſſe oſtendimus. II. Benevolentia captatur à reipſa. 1. ἐπαίνῳ, *cùm cauſam noſtram extollimus, contendentes à judicibus, ut æquitati cauſæ faveant.* 2. ψόγῳ, *cùm cauſam adverſariorum vituperamus & deprimimus, periculum ſubindicando, quod ex nimia accuſandi licentia ſecuturum ſit, niſi maturè coërceatur. II. Finis exordii eſt* Attentio ἡ προσοχὴ *ſeu* φιληκοΐα, *diligens audiendi ſtudium. Quæ captatur præcipuè in cauſa valdè neceſſaria & magna, &* 1. *quidem* ὑποσχέσει *ſeu* ἐπαγγελίᾳ, *hoc eſt,* promiſſione. *Cùm ſignificamus, nos de rebus magnis, neceſſariis, utilibus, mirabilibus, jucundis & ad Rempubl. religionem, ſalutem denique auditorum pertinentibus dicturos.* 2. ἀξιώσει καὶ δεήσει, *id eſt,* auſcultationis petitione. *Cùm petimus & rogamus auditores, ut nos attentè & bona cum venia audire velint. III. Finis eſt* Docilitas ἡ εὐμάθεια, *quæ comparatur ex rebus ipſis, cùm ſcilicet, Orationem neque nimis altè repetimus, neque cum expoſitione rerum peregrinarum conjungimus, ſed ſummam rei, de quâ dicturi ſumus breviter, diſertè & perſpicuè proponimus, ut quàm facilimè ab auditoribus intelligi & memoria comprehendi poſſit.*]

8. Affectiones legitimi exordii ſunt tres. Sit 1. breve. 2. modeſtum. 3. con-

3. congruum ſive præſenti negocio accommodatum.

9. Vitia ejuſdem ſunt quatuor. Ne ſit. 1. nimis longum, 2. grande & tumidum, 3. vulgatum, 4. alienum.

[*Veſtibula operum eſſe debent, inquit Pindarus. Ideoque exordia ſemper accurata & acuta & inſtructa ſententiis eſſe debent, Cyprian. Soar.* lib. 2. Rhetor. cap. 4 *Vt igitur juſta ſymmetria Exordiorum conſtet, tres leges tyronibus obſervandas præſcripſerunt Rhetores* 1. *Eſto* Breve. *Non enim exordiis quæri debet copia, ſed modus prudenter adhibendus, ne in nimiam excreſcat prolixitatem. Vt verò modus hic legitimè obſervetur, Rhetores tyronibus certas exordiorum partes præſcripſere, ut plurimum quatuor. Quanquam aliquando adſcribantur pauciores, rarius plures.* In brevioribus exordiis, *quæ plerunque contexuntur ex Enthymematis, ponitur* 1. *protaſis ſive ſententia aliqua. Additur.* 2. Αἰτιολογια *ſive ratio. Subjicitur.* 3. *plerunque* ἀπόδοσις *ſive concluſio. Exempli gratiâ* Protaſis eſt, *Eloquentiæ ſtudia ſunt colenda.* Αἰτιολογία ab adjuncto. *Nam benè dicere eſt omnium humanorum operum difficilimum & præſtantiſſimum. Verùm hic ordo ſæpe invertitur & ratio Enthymematis priori, propoſitio poſteriori loco collocatur, ut: Benedicere eſt omnium operum humanorum difficilimum: Eloquentiæ igitur ſtudia ſunt colenda.*

Con-

Concluſio cum annexâ propoſitione. *Itaque de ejus laude & neceſſitate quædam dicam.* In longioribus exordiis *ſequentes partes obſervantur* 1. *eſt propoſitio exordii.* 2. Αἰτιολογία *ſive propoſitionis ratio vel approbatio.* 3. Αὔξησις *ſive Amplificatio quædam, vel* ἀντικατάληψις *Occupatio, vel* ἀντίθεσις *Adverſativa.* 4. *hic ſubjicitur* ἀπόδοσις *repetitio vel concluſio exordii.* 5. *Hanc ſequitur* ἀξίωσις *petitio auſcultationis. Cujus hæ ſunt formulæ:* Quamobrem adeſte animis auditores, & liberè judicate. Quæsô ut me attente benigneque audiatis. Attendite animos ad ea, quæ audietis. Quod dum facio, peto ut benevolas mihi aures accommodetis. Quare peto à vobis, ut ſi paulò liberius de his verba fecero, benevolè me audiatis, &c. *Exempla alia in ſeqq. ſubjicientur. II. Eſto* Modeſtum, *verecundum & ſubmiſſum, habens ſignificationem modeſtiæ, officii, pietatis, venuſtate interim & elegantia, quaſi quodam ſale perſperſum. Cicer.* de Orat. perf. *Alioqui ſi ſit tumidum & grande nimis* 1. *deteſtatur idipſum ipſa natura.* 2. *exiſtimationi dicentis & cauſæ officit.* 3. *bonos omnes offendit. III. Eſto* Congruum, *& ad genus cauſæ quam proximè accommodetur, & tanquam ex ipſius viſceribus ac medullis ſumatur, ita ut non ſit alienum aut longinquum, ab ovo gemino, quod dicitur, aut Nili flumine repetitum: non etiam exile aut nugatorium aut vulgare, aut cum aliis cauſis commune, ſed ut proprium, peculiare &*

tanquam

tanquam vernaculum ſit, Adam Sib. Rhetor. cap. 50.]

CAPUT IV.

NARRATIO

eſt cauſæ ipſius, aut rerum ad cauſam pertinentium, expoſitio.

[*Breviter*, eſt rerum explicatio & facti expoſitio. *Cicero fontem omnis Orationis adeòque quaſi ſedem ac fundamentum conſtituendæ fidei nominat.* Dialog. 2. part. Orat. *Confer.* Quintil. lib. 4. cap. 2. Ariſtot. lib. 3. Rhetor. 16. *Alii ſic definiunt:* Eſt facti per circumſtantias brevis, perſpicua, & veriſimilis expoſitio. Facta *autem faciunt* triplicia. 1. Antecedentia ἡγέμενα: *ut, Erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Roſciis Amerinis. Vocatur alias* προδιήγησις, *quæ eſt quaſi aditus ad narrandum:* 2. Media μέσα: *ut, Nam cùm hic Sextus Roſcius eſſet Ameriæ, &c. Vocatur* διήγησις, *hoc eſt, ipſius cauſæ expoſitio.* 3. Conſequentia ἑπόμενα: *ut, Occiſo Sexto Roſcio primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia. Vocatur* ἐπιδιήγησις *narrationis clauſula; quæ breviter rem totam repetit, &, quid agendum ſit, indicat. Circumſtantiæ autem facti hoc exprimuntur verſiculo:*

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

[*Vulgò autem novem conſtituunt.* 1. τὰ πρόσωπα, perſonæ. 2. τὰ πραχθέντα, res geſtæ. 3. τὰ παραλειπόμενα, prætermiſſa. 4. τὰ αἴτια, cauſæ. 5. οἱ λογισμοί, conſilia. 6. ὁ τόπος, locus. 7. ὁ χρόνος, tempus. 8. τὰ ἐκβάντα, eventus. *Alii hîc etiam diſtinguunt inter* Narrationem γενικὴν, generalem, *quæ eſt generalis ipſius cauſæ expoſitio: & εἰδικὴν*, ſpecialem, *quæ per totam Orationem vel laudationis, vel criminationis, vel fidei majoris gratiâ ſpargitur. Alii inter* Narrationes veras: *Quales ſunt hiſtoriæ; &* fictas *ſive fabuloſas: quales Fabulæ, Comœdiæ & Poëtarum figmenta.*]

2. Affectiones ſive virtutes narrationis ſunt Quinque: Sit 1. Brevis. 2. Perſpicua. 3. Probabilis. 4. Suavis. 5. Methodica.

[I. Brevis, *ut libentius audiatur. Brevis erit, ſi nil quod neceſſarium prætermiſerimus, nec quicquam quod ſupervacaneum adjecerimus. Itaque hac lege excluduntur omnia ſupervacanea, aliena, ſuperflua,* ταυτόλογα, περισσόλογα, *jejuna, non neceſſaria; Spectandum tamen hîc juxta præceptum Quintiliani*, Ne συντομία *ſive* βραχύτης brevitas 1. pariat obſcuritatem, nec 2. ſit indocta & inornata, nec

3. quæ

3. quæ probabilem cauſam efficiunt, omittat. II. Perſpicua, *aperta & dilucida, ut intelligatur. Perſpicua erit ſi* 1. *verbis propriis, uſitatis ac ſignificantibus conſtabit. Si* 2. *rebus, hoc eſt, perſonis, locis, temporibus ac cauſis ordine perpetuo diſtinguetur. Si* 3. *perſpicua verborum conjunctione cohærebit. Si* 4. *brevibus ſententiis ac periodis abſolvetur. Itaque hac lege rejicitur narratio obſcura, hiulca, confuſa, interrupta.* III. Probabilis. *credibilis & veriſimilis; ut ad probandum ſit accommodata. Probabilis erit, ſi* 1. *ad naturam, morem & conſuetudinem rei, quæ narratur.* 2. *ad opinionem ac ſenſum eorum, qui audiunt, quàm proximè acceſſerit, &* 3. *cum circumſtantiis locorum, temporum, factorum, eventuum, teſtimoniorum convenerit.* IV. Suavis, *jucunda & amabilis, ut cum delectatione & admiratione quapiam audiatur. Suavis erit, ſi* 1. *verba elegantia & leniter cadentia & periodos commatibus & colis non nimis prolixas habebit. Si* 2. *affectibus & geſtibus convenientibus quaſi ſale quodam aſpergetur. Si* 3. *exſpectationes, admirationes, exitus inopinatos, colloquia ac jurgia perſonarum, &c. continebit.* V. Methodica, *ut rectius memoriæ infigatur. Methodica erit, ubi membra legitimè cohærentia æquabili filo connectentur, ac juſta diſpoſitione, ne, ſicut funiculus ex arena, contexentur. Eſt autem hic* ordo Narrationis *vel maximè naturalis &* methodicus, *ut* 1. *rerum geſtarum cauſa,*

 conſilia

conſilia & occaſiones. 2. Actus ipſe ſive executio. 3. Effectus ſive eventus. 4. Eventuum cauſæ, ordine enumerentur. Omnis ſiquidem res eo, quo geſta eſt, ordine commemoranda. Ideoque hæ quatuor Narrationis partes reputantur.]

Exempla Narrationis.

Veræ Narrationis exemplum habet Cicero lib. Offic. 3. de Cannio equite Romano & Pythii hortis venalibus, quod ſingulas legitimi exordii affectiones in ſe continet.

1. *Σαφήνεια, perſpicuitas, conſtans verbis propriis & uſitatis & ſignificantibus.* C. Cannius eques Romanus, homo nec infacetus & ſatis literatus: cum ſe Syracuſas otiandi causâ, non negociandi (ut ipſe dicere ſolebat) contuliſſet, (2. *λόγος σύντομος brevis, quia non habet amplificationem*) dictabat ſe hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet (3. *πιθανότης probabilitas, quia diligenter recitat circumſtantias perſonarum, loci, temporis.*) Quod cum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentarium faceret Syracuſis, dixit venales ſe quidem hortos non habere, ſed licere uti Cannio ſi vellet, ut ſuis: & ſimul ad cœnam hominem in hortos invitavit in poſterum diem, (4. *γλυκύτης ſuavitas, continens inopinatum rei eventum: & in Cannio ſimplicitatem ac credulitatem: In Pythio verò aſtutiam*

tiam ac calliditatem ſingularem depingit:) Cum ille promiſiſſet, tum Pythius, ut argentarius, qui eſſet apud omnes ordines gratioſus, Piſcatores ad ſe convocavit, & ab his petivit, ut ante ſuos hortulos poſterâ die piſcarentur, dixitque: quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Cannius, opiparè paratum erat convivium, cymbarum ante oculos multitudo, pro ſe quiſque quod ceperat, adferebat, ante pedes Pythii piſces adjiciebantur. Tum Cannius, Quæſo, inquit, quid eſt, ô Pythi, tantúmne piſcium, tantùmne cymbarum? Et ille, Quid mirum, inquit, hoc loco eſt, Syracuſis quicquid eſt piſcium, hîc aquatio, hac villa iſti carere non poſſunt. Incenſus Cannius cupiditate, contendit à Pythio, ut venderet. Gravat primò. Quid multa? impetrat, emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius voluit, & emit inſtructos: nomina facit, negotium conficit. Invitat Cannius poſterâ die familiares ſuos. Venit ipſe maturè: ſcalmum nullum videt. Quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent? Nullæ, quod ſciam, inquid ille: ſed hîc piſcari nulli ſolent. Itaque heri mirabar, quid accidiſſet: Stomachari Cannius. Sed quid faceret? Nondum enim Aquilius collega & familiaris meus protulerat de dolo malo formulas. *Atque hic eventus inopinatus actus hujus.*

Exemplum Narrationis Methodicæ.

Habetur in Narratione Orationis pro Milone, Commemorantur 1. *Conſilia*. P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere vexare Rempubl. 2. *Acta*. Româ ipſe profectus pridiè eſt, ut ante ſuum fundum inſidias Miloni strueret. 3. *Eventus*. Occiſus Clodius. 4. *Cauſa Eventus*. Vi victa vis vel potius oppreſſa virtute, audacia eſt.

Exemplum Narrationis fabuloſæ habet Cicer. 3. Offic. de Gygis annulo. Terent. in Andr. Actu 1. ubi perpolita narratione commemorat Soſiæ factum filii ſui Pamphili, quod Glycerium amet relictâ Chremetis filiâ ſibi deſponsâ. Huc pertinet narratio hiſtoriæ belli Trojani Æneid. 2. Orationis Junonis ad Æolum, Æneid. 1. Paſſionis Chriſti apud Evangeliſtas. De qûibus & aliis videatur Dreſſerus *Rhetor. fol.* 83. *& ſeqq.* Plura occurrent in ſeqq.

CAPUT V.

1. PROPOSITIO eſt principalis quæſtio, de qua agendum eſt.

[*Seu*;

[*Seu*; eſt ſententia totius negocii ſummam continens ad quam omnia argumenta tanquam ad ſcopum diriguntur. *Vel:* Eſt ſcopus Orationis, ad quem tota Oratio dirigitur. Κατάστασις *&* πρότασις καταστατική. *Græcè dicitur, id eſt,* cauſæ conſtitutio, *quia breviter ſcopum præfigit, metamque determinat, intra quam ſe dicturi contineant. Aliàs dicitur* κεφάλαιον. *id eſt* caput, *&* ὑπόθεσις *ſive* ὑποκείμενον, *id eſt,* Subjectum *&* argumentum *ſeu* ſtatus orationis.]

Eſtque vel explicita vel implicita.

[*Propoſitio enim, quia eſt tanquam totius certaminis ſcopus, nunquam omitti poteſt: ſine Propoſitione dicere, eſt cum umbris, & larvis pugnare. Ideoque quandoque explicitè, quandoque implicitè ponitur.*]

3. Explicita eſt, quæ expreſſis & apertis verbis recitatur: ut, *ſtrictè agam de hac quæſtione, An Peſtem liceat homini Chriſtiano fugere?*

4. Implicita eſt, quæ per totum Orationis contextum ſparſa, nec niſi integra Oratione audita cognoſci poteſt.

5. Explicata Propoſitio vel eſt ſimplex, vel conjuncta.

6. Simplex eſt, cum de unica dun-

taxat re eſt quæſtio: ut, *An S. Roſcius occiderit patrem? An Dejotarus Cæſari inſidias ſtruxerit?*

7. Conjuncta eſt, cùm de duabus vel pluribus rebus quæſtio eſt: ut, *An Cælius aurum mutuò ſumpſerit à Clodio, & an venenum Clodiæ parârit, ne debitum redderet.*

8. Hæc, adhibita partitione, legitimè in ſuas partes diſtribuenda, ejuſdemque membra enumeranda.

[*Idque melioris intelligentiæ & memoriæ cauſa, ne inſtar atomorum Orationis partes indiſtinctè volitent. Διαίρεσις hæc in popularibus concionibus, vel inprimis, neceſſaria, & ad auditorum captum maximè utilis. Si Cicer.* pro S. Roſc. *Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtant hoc tempore S. Roſcio. Primò crimen. Deinde adverſariorum audacia. Tertiò potentia. Sic* pro L. Manil. *Primum videtur de genere belli, Deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo dicendum eſſe. Pro* L. Murena. *Intelligo judices totius accuſationis tres partes fuiſſe: Et earum unam in reprehenſione vitæ: alteram in contentione dignitatis: tertiam in criminibus ambitus verſatam eſſe. Et hinc eſt, quod quidam propoſitionem hunc in modum definiunt.* Propoſitio eſt, quâ ipſum Orationis ſtatum aperi-

aperimus, & quibus ac quot potiſſimùm de rebus dicturi ſumus, proponimus. *Tria hîc* NOTA I. *Nonnunquam etiam in ſimplici propoſitione* διαιρέσει *ſive partitione utimur, ſed rariùs.* II. *Partitio iſta ſit vel bimembris, vel trimembris, ad ſummum quadrimembris, non facilè partium plurium, Eſt enim vitioſa & memoriæ officit.* III. *Ubi partium propoſitarum cumulus eſt, prudenter eligendæ ſunt maximè neceſſariæ & præcipuæ. In quem finem adhibenda erit* ἀπόδιωξις, Rejectio, *cùm de unâ aliquâ parte vel pluribus alio nos tempore dicturos eſſe judicamus.*]

9. In propoſitione obſervanda duo. Ut 1. perſpicuè proponatur & diſtribuatur. 2. Partes eo ordine, quo propoſitæ ſunt, tractentur. Alioquin committetur ὑστερολογία, ſive ὕστερον πρότερον.

[*Non ergo aliena à propoſito, ſed accommodata & congruentia ad rem omnia dicenda, ut Oratio tota è re, quæ agitur, naſci & dimanare videatur. Dreſſer.* Rhetor. fol. 91. *Sunt enim conſarcinati centones,* ἔξω τῶν προκειμένων, *in quibus aliud plectrum, aliud chorda ſonat, non tàm turpes, quàm auditoribus moleſti.*]

CAPUT VI.

1. CONFIRMATIO

eſt Propoſitionis per argumenta idonea probatio.

[*Cicero confirmationem nominat Contentionem. Contentio autem cauſæ diſceptatio eſt, ſub qua, quod ſupra monuimus, alij & Confirmationem & Confutationem comprehendunt. Græci* πίστιν καὶ ἀπόδειξιν demonſtrationem *nominant (voce tamen latiori complexu accepta) quia in eadem certis argumentis cauſæ, de qua diſceptatur, fidem, autoritatem, robur, pondus ac firmamentum conprobamus. Argumenta Rhetores* ἐπιχειρήματα *nominant, quorum alia, quod notat Dreſſer.* Rhetor. fol. *96. vocantur* ἀποδείξεις *ſeu* πίστεις, *quales ſunt probationes præcipuæ, quæ ſua certitudine & evidentia auditorem convincere poſſunt: alia* πιθανὰ, *hoc eſt, popularia & ad perſuadendum quocunque modo ac veri prætextu accommodata. Eſt autem confirmatio quaſi cor & anima Orationis, qua languente omnes Orationis partes, vita & ſpiritu deſtitui neceſſe eſt. Cùm ſtante Confirmatione ſtet & Propoſitio, corruente verò concidat, ideoque in hac adornanda omnes ingenii nervi intendendi.*]

4. Argu-

4. Argumenta confirmationis ex locis inventionis, pro diverſitate negociorum in quolibet Genere Cauſarum tractandorum, deſumuntur.

[*Suppeditat igitur omnia argumenta tàm ἔντεχνα artificialia quàm ἄτεχνα inartificialia Rhetori Logica. Rhetor verò pro cauſa, de qua diſceptatur, qualitate, modò hæc, modò illa, modo iſta, modò alia adhibet. Cùm itaque non omnia & ſingula argumenta, omnibus & ſingulis cauſis congruunt. ideò Rhetores peculiaria Genera Cauſarum excogitarunt, & ſingulis peculiares & proprios argumentorum locos aſſignarunt, qui quales ſint, ſuo in ſingulis generibus loco aſſignabitur. Atqui hi dicuntur* loci proprii. *Sunt præterea* loci communes, *qui in omnibus promiſcuè generibus cum demonſtrativo, tùm deliberativo, tùm judiciali ac didaſcalico, uſurpari poſſunt, quos Ariſtot. in Rhet. ad Alex. recenſet,* 1. juſtum, 2. legitimum, 3. honeſtum, 4. utile, 5. facile, 6. poſſibile, 7. neceſſarium. *Quanquam & hi ipſi in alio atque alio cauſarum genere commodiùs & rectiùs adhibeantur. Atque hæc de materia argumentorum.*]

3. In diſpoſitione argumentorum confirmationis, 1. argumenta validiora obtineant locum primum & ultimum: imbecilliora verò medium.

[*Id quod Neſtoris exemplo inſtruentis aciem apud Homerum Iliad. 7. Illuſtrat. Dreſſer.* Rhetor. fol.106.]

4. Argumentorum vires & pondera artificioſè tegantur.

[*Idque ad alliciendum auditorem, & Orationem exornandam. Fieri enim Contentio debet per Ratiocinationes ſive Syllogiſmos plerunque probatos, amplificatos & exornatos.*]

3. Similitudo vitetur.

[*Vim enim argumentorum obſcurat. 2. Illuſtrat, non probat. 3. moleſtiam creat. Quandoque tamen, ſi ſingularis ei vis illuſtrationis inſit, dextrè adhibeatur.*

4. Unum aliquod argumentum, quod præcipuum probationis robur contineat, dominetur.

[*Sic in Milon. Orat. principale argumentum eſt:* Vim vi repellere conceſſum eſt. Milo hoc fecit. Cædes ergò ab illo non eſt facta contra Rempubl. *Hæc enim ratio per omnes partes Orationis tanquam ſanguis per venas manat.*]

5. Obliqua & inflexa argumentationis ſpecies adhibeatur.

[*Etſi enim forma argumentationis ſit una, eaq; è Dialecticis petenda. In diſponendi tamen uſu,*

uſu, aliter atque aliter à Logicis & Oratoribus adhibetur. Cum 1. *illi nudè & ſimpliciter argumenta ſua proponant: Hi verò varium amplificationis ornatum addant.* 2. *Illi propoſitionem, priori, aſſumptionem poſteriori, concluſionem ultimo loco collocent: hi verò argumentationis initium ſumant interdum à concluſionè, interdum à probatione, interdum in Enthymemate conſequens cogitationibus auditorum relinquant. Unde* forma argumentationis Oratoriæ duplex *vulgò ſtatuitur. I.* Ἐνθυμηματική, *quæ eſt brevis & ſuccincta argumentandi ratio, conſtans propoſitione & ratione, ſive antecedente & conſequente: ut, Clodius eſt jure occiſus. Quia fecit inſidias.* 2. Ἐπιχειρηματική, *quæ eſt Syllogiſticaplurium partium coagmentatio: Eaque vel eſt* Directa, *cujus concluſio ſtatim initio ponitur & dicitur* πρότασις *propoſitio.* 2. αἰτιλογία ratio propoſitionis. 3. κατασκευὴ rationis approbatio. 4. ἐξεργασία *ſeu* προσαποδόμενησις expoſitio *(quæ interdum tamen omittitur)* 5. συμπέρασμα. complexio; concluſio. *Vel* indirecta, *quæ Dialecticam ſequitur collocationem & concluſionem poſtremo loco ponit, fitque* κρύψεως ἕνεκα *occultandi gratia. Cujus partes ſunt potiſſimum quinque.* 1. πρότασιν propoſitio: *quæ eſt Major Syllogiſmi.* 2. αἴτιον *ſive* προσυλλογισμὸς ratio majoris propoſitionis. 3. πρόσληψις aſſumptio, *quæ eſt minor Syllogiſmi.* 4. προσυλλογισμὸς minoris approbatio. 5. Comple-

xio ſive concluſio. *Obiter hîc Rhetoricos termi-nos* Nota 1. *Syllogiſmi ſive Ratiocinationis concluſio dicitur ſtatus, vel quæſtio, pel prin-cipalis propoſitio. 2. Præmiſſæ (Propoſitio ma-jor & minor ſive aſſumptio) dicuntur αἴτια: quia cauſa ſunt complexionis ſive concluſionis. 3. Propoſitio illa, de qua eſt diſceptatio, & qua probata quæſtio fit plana, dicitur κρινόμενον à κρίνομαι judicor. 4. Probatio τοῦ κρινομένου di-citur συνέχον id eſt, continens ſeu firmamentum, quia totius probationis robur ex hoc dependet. 5. Probationes Syllogiſmi aut partium Syllo-giſmi dicuntur Proſyllogiſmi, qui nihil aliud ſunt quàm Syllogiſmorum vel partium eorun-dem probationes, q. d. argumenta poſtpoſita & probationum probationes.*]

Exempla.

Si quæſtio Rhetoricè tractanda: *Ieſus Na-zarenus eſt Meſſias.* Hoc thema variis argu-mentis in Confirmatione probari, amplificari & exornari poterit.

Ratio Confirmationis præcipua erit *ab effe-ctis:* quia miracula planè divina edidit; inde ta-lis inſtruetur Ratiocinatio, ſive Syllogiſmus:

Meſſias miracula plane divina edere debuit, Quia Eſaias prædixit: quod, Meſſia præſente, ſint cæci viſum recepturi, ſurdi audituri, clau-di ambulaturi, &c.

Sed miracula talia edidit IESVS Naza-renus,

renus, quemadmodum totus N. Teſt. codex hinc inde teſtatur.

Ieſus ergò Nazarenus eſt verus ille Meſſias.

Hîc vides concluſionem Syllogiſmi proferre ſtatum ſeu illam, quæ probanda erat, quæſtionem: cujus αἴτια ſunt propoſitio & aſſumptio. Propoſitionis autem probatio (quia Eſaias prædixit, &c.) & Aſſumptionis (quemadmodum totus N. Teſt. Codex teſtatur) dicuntur proſyllogiſmi, quia ſunt argumenta veritatem harum propoſitionum comprobantia. Κρινόμενον igitur hîc eſt, *An Ieſus Nazarenus ſit Meſſias.* Hujus probatio ſeu σύνεχον eſt, quia miracula planè divina edidit. Par eſto judicium de exemplis aliis, quæ eodem modo examinari poſſunt.

Exemplum Argumentationis Oratoriæ directæ.

1. Πρότασις. Milo non ſtruxit inſidias Clodio.

2. Αἴτιον. Quia ſecum duxit uxorem, liberos & ancillas.

3. Κατασκευὴ *rationis approbatio.* Nam qui alicujus vitæ clam inſidias ponere volunt, hujuſmodi impedimenta ſecum non aſſumunt.

4. Εργασία *expoſitio.* Quid enim timidius fœminis? Quid delicatius?

5. Συμπέρασμα *concluſio.* Quare ex his conſtat, Milonem non feciſſe inſidias, ſed Clodium.

Exem-

Exemplum argumentationis Oratoriæ indirectæ.

1. *Propoſitio.* Caſſius ſapientiſſimus judex quærere ſolebat in cauſis criminalibus, cui bono fuiſſet mors interfecti.

2. *Proſyllogiſmus majoris.* Nam ſic eſt vita hominum, ut ad maleficium nemo ſine ſpe atque emolumento accedere conetur.

3. *Aſſumptio.* Adverſariis autem mors Roſcii profuit.

4. *Proſyllogiſmus minoris.* Nam qui antea fuerunt inopes, ſubitò facti ſunt locupletiſſimi.

5. *Complexio.* Veriſimile igitur eſt, eos conſcios cædis eſſe. Alia Exempla in Generibus cauſarum occurrent.

CAPUT VII.

1. CONFUTATIO

eſt contrariorum argumentorum ſolutio.

[*Græcè dicitur* ἀνασκευὴ, λύσις, ἀντιλογία. *Argumenta verò hujus generis dicuntur* ἐπιχειρήματα ἀνασκευαστικὰ καὶ λυτικὰ, *quia, quæ adverſarius ad fidem argumentorum noſtrorum infringendam: objicit, per illa reprehendimus, diſſolvimus, & adverſarij ſententiam deſtruimus.*]

2. In

2. In confutatione 1. ea, quæ plus momenti ad adverſarii ſententiam deſtruendam habere videntur, poſteriori loco collocentur.

[Oratio namque non decreſcet, ſed novas ſubinde vires magis ac magis acquiret.]

2. Argumenta contraria ambigua diſtinctione refutentur.

3. Falſa & levia, negatione, elevatione, rejectione & ulterioris probationis petitione.

4. Communia; intorſione, commoda explicatione.

5. Aliena, frivola; irriſione & rejectione.

6. Magna & ponderoſa; regeſtione contraria & digreſſione.

[Magna & ponderoſa voco, ad quæ difficulter reſponderi poteſt. In quorum confutatione commodè adhibetur regeſtio à pari, ſive ab oppoſitione argumenti contrarii æquè difficilis. Quomodo Chriſtus Phariſæis interrogantibus: qua poteſtate iſta facis? regeſtione à pari reſpondet: Interrogabo, & ego vos viciſſim: Baptiſmus Iohannis erátne è cælo an ab hominibus? Reſpondentibus ipſis neſcire ſe. Regerit Chriſtus, ac nec ego dicam vobis, qua poteſtate

iſta faciam: Vid. Matth.21. 23. Sic & digreſſio commodè adhibetur: qua rebus alienis auditorem in oblivionem deducimus. Sed de refutatione vitioſorum argumentorum plura docentur in Logicis, ſpecialia etiam in ſingulis cauſarum generibus occurrent. Duo hîc nota. 1. *Si adverſarii rationes minus videntur habere virium, non opus eſt ſpeciatim ad ſingula reſpondere, verùm uno ictu ſive impetu evertenda ſunt ſingula, ne ſi cum ſingulis pedem conferamus, & tempus perdamus, & tædium auditoribus injiciamus. 2. Quatuor vulgò partes Oratoriæ confutationis faciunt.* 1. προέκθεσις, *quæ vel ſimplex vel figurata.* 2. ὑποφορὰ, *objectio adverſarii.* 3. Ἀντιπρόθεσις *oppoſita propoſitio, qua nos ad objectionem reſponſuros promittimus.* 4. Ἀνθυποφορὰ *ſeu* λύσις τῆς ὑποφορᾶς *ſolutio objectionis.*]

Exemplum confutationis.

Ad thema precedenti cap. propoſitum de Meſſia. 1. προέκθεσις. Sed dicat aliquis. 2. ὑποφορὰ *objectio.* Annon & Apoſtoli aliique viri ſancti miracula planè divina edidêre, dum & ipſi mortuos exſuſcitavêre, cœcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum reſtituêre?

3. Ἀντιπρόθεσις *ſive oppoſita propoſitio.* Verum equidem eſt? ediderunt, exſuſcitaverunt, reſtituerunt: attamen longiſſimis hæc paraſangis à Jeſu Nazareni veri Meſſiæ editis mira-

miraculis differre, ex iis, quæ dicam, manifeſtum erit.

4. *Λύσις ſolutio object.* Primò namque efficiente differre ex eo conſtat; quod Chriſtus miracula edidit propria virtute. Apoſtoli autem aliique Sancti non propriâ, ſed alienâ, in nomine ſcilicet Jeſu Chriſti, *Actor.* 3.6. edidêre. Differre deinde fine, inde patet: Quia Chriſtus miracula edidit ad patefaciendam majeſtatem *ſuam*, Johan. 2.11. Apoſtoli autem non ad oſtendendam gloriam ſuam, ſed nomen Jeſu Chriſti Nazareni, *Actor.* 4. *verſ.* 10.

CAPUT VIII.

1. PERORATIO eſt artificioſa totius Orationis concluſio.

[*Græcè dicitur* ἐπίλογος ϗ ἐκβολὴ τοῦ λόγου. *Alia autem concluſio eſt ſpecialis ſingularum partium, qua ſingula argumenta aut partes concluduntur, de qua hoc loco nihil: alia generalis totius ſcilic. Orationis & propoſitionis, quæ hujus loci propria.*]

2. Ejus conditiones ſive affectiones ſunt tres. 1. Repetitione propoſitionis & præ-

& præcipuorum confirmationis argumentorum conſtet.

[*Dicitur hæc repetitio Græcè* ἀνακεφαλαίωσις *καὶ* ἐπιλογισμός. *Dico autem* præcipuorum, *non omnium. Non enim neceſſe omnia & ſingula argumenta in Epilogo conglomerata repetere, ſed ſufficit, ſi præcipua & potiſſima breviter perſtringantur.*]

2. Affectus in animis auditorum pro materiæ diverſitate relinquat.

[*Dicitur hæc Epilogi pars vulgò* αὔξησις *καὶ* δείνωσις, *id eſt*, amplificatio, *quæ eſt gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.* Cujus fines. 1. Indignatio & iracundia, *ad ſævitiam judicis contra improbos accommodata.* 2. Conquæſtio & commiſeratio, *ad miſericordiam & clementiam auditorum captandam. Repete hîc quod ſup. cap. 2. notabamus. In exordio adhiberi affectus leniores ſive* ἤθη: *in Epilogo vehementiores* πάθη, *qui in animis auditorum aculeum relinquant. In quem finem nonnunquam, Peroratio adhortatione, pollicitatione ſtudii, voto, comprecatione, & ſimilibus, quæ affectus exprimunt & augent, conſtat.*]

3. Omnia ejus membra legitimè cohæreant, ne vel excedant, vel ſint anguſtiora.

[*Gene-*

[*Generale id quidem eſt omnium partium Orationis præceptum, ſpeciatim hic Epilogo accommodatum, cùm vel maximè concinna cohærentia Epilogi attendatur. Nam,* Omnia tunc bona ſunt, clauſula quando bona.]

Exempla Perorationis.

Videantur in Orat. pro S. Roſcio, pro M. Cœlio, pro P. Quintio, Ligario, Milone, Archia, L. Manilia, Confer Dreſſ. *Rhetor. fol.* 107. *& ſeqq.*

Hæc de partibus Orationis Rhetoricæ, earumque diſpoſitione, ſequuntur Genera Cauſarum.

CAPUT IX.

1. GENERA CAUSARUM ſunt quatuor:

1. Doctrinale, διδασκαλικὸν.
2. Demonſtrativum, ἐπιδεικτικὸν.
3. Deliberativum, συμβουλευτικὸν.
4. Judiciale, δικανικὸν.

[*Per cauſas hîc nihil aliud intelligimus, quam quæſtiones, propoſitiones, ſtatus, negocia vel themata, de quibus Rhetori dicendum eſt.* Genera *igitur* cauſarum nil aliud ſunt, quàm certæ claſſes & ordines, ad quæ quæſtiones ſingulæ,

ſingulæ, de quibus perorandum, pro diverſitate qualitatis revocari, ex iiſdemque convenientes argumentorum loci, quibus iſtæ legitimè tractentur, deſumi poſſunt. *Cùm autem quæſtio omnis, quæ ad dicendum affertur in triplici ſecundum Cicer. & Quintil. ſit differentia. Aut enim eſt laudantis & vituperantis. Aut ſuadentis & diſſuadentis, aut denique continet diſputationem de facto, quo de ambigitur, an ſit nec ne, num jure vel injuria ſit perpetratum, hinc adeò tria cauſarum genera à Rhetorica Magiſtris conſtituuntur.* Demonſtrativum, *quod in commendationibus:* Deliberativum: *quod in ſuaſionibus:* Judiciale, *quod in diſceptationibus facti & cauſa qualitatis conſiſtit. Ad quæ tria genera omnes, quæ uſpiam occurrunt, cauſæ revocari poſſunt, quod ſpeciatim infrà in ſingulis per ſubjectas ſpecies demonſtrabitur. Atqui hîc eſt unanimus omnium Rhetorum veterum conſenſus. Differentiam autem generum horum Ariſt.* 1. Rhetor. cap. 13. *à diverſis auditorum generibus ſumptam eſſe ait: Horum enim alii ſunt auditores, qui ſolum audiendi gratia adſunt: Vnde genus Demonſtrativum. Alii Senatores, qui cognita Oratione de futuris deliberant: Vnde genus Deliberativum. Alii Iudices, qui Oratione cognita de præteritis ſtatuunt: Vnde genus Iudiciale. Quintil.* l. 3. Inſtit. Orat. *Item Trapezuntinus* Rhetor. c. 1. *ſubdunt rationes alias, de quibus conſule Theſaur. eloquent. D. Trentler. lib.* 1.

lib. 1. *c.* 2. *Quid verò de Genere Didaſcalico fiet? Veteribus quidem illud ignotum, quin & quibuſdam è recentioribus judicatur ſupervacaneum ex eo.* 1. *quod ad Scholas ſit relegandum, cùm docere non ſit Concionatoris & Præceptoris quatenus Orator, ſed quatenus Logicus. Ideoque methodicæ Logicæ doctrinam ejuſdem conſectarium eſſe dictant. Ex eo* 2. *quod eſſentiale Rhetoricæ non ſit, ſed accidentarium, cum eidem non ſemper competat, aut ſi competat. Rhetorica abſque eo neque perfecta fuerit, neque perfecta eſſe poſſit. Abſonum utrumque.* Vide Treutl. alleg. loc. *Verùm enim verò cùm alia ſit methodi docendi ratio in Logica, in qua nudè & conciſè, alia in Rhetorica, in qua copioſius, ornatius & elegantius ad populum tractatur, & verò magnus ejuſdem ſit hodiè in Eccleſia uſus; ubi de variis Religionis dogmatibus & officii partibus homines docendi, non tàm à Recentioribus reliquis hoc genus adjectum, quam huc uſque etiam in Scholis Oratorum utiliter retentum & obſervatum fuit. Exempla illuſtria, quibus Quatuor hæc Genera probantur & illuſtrantur, collegit. D. Chytræus ex V. & N. Teſt. itemque ex Orationibus Cicer* fol. 53. & ſeqq. *Vnum hîc* nota. *Quanquam principaliter unum thema, ad unum etiam Genus cauſæ referendum, ſæpè tamen ex uno in aliud ſit tranſitus; quando aliud ex locis alterius aliquid mutuatur. Quibus enim rationibus facienda ſuadere ſolemus,* iiſdem

iiſdem etiam facta laudare debemus: & quæ res laudandi ac vituperandi vim habent, eadem in deliberatione ad ſuadendum & diſſuadendum valent: in conjectura ad veritatem inveniendam ſuſpicionemque augendam vel minuendam conducunt, nec minus in deprecando ad veniam impetrandam momentum afferunt, Siber. Rhetor. c. 22.]

2. GENUS DIDASCALICUM eſt, quod verſatur in docendo & methodicè quæſtionem aliquam explicando.

[*Verſantur & reliqua genera in docendo, docent namque per cauſas effectus, contraria, definitionem. At in hoc genere docendi modus eſt alius, ſic in Iudiciali genere, e. g. controverſia tractatur: In hoc verò ſimpliciter thema aliquod tractatur,* Dreſſer. Rhetor. fol. 109. Pertinent verò ad hoc Genus explicationes Legum ſacrarum & rerum aliarum in ſingulis diſciplinis tractationes methodicæ, *quæ fiunt definiendo, partiendo, cauſas, effecta, ſubjecta, adjuncta explicando, & ab oppoſitis illuſtrando, &c. Cum autem, quicquid docetur, ſit aut thema ſimplex aut compoſitum, hinc quæſtiones ſeu ſtatus Generis Didaſcalici duplices emergunt.* 1. Simplices, cum de unâ aliquâ voce quæritur: *ut, Quid ſit peſtis? Quid ſit pœnitentia? an ſit purgatorium?*

2. Con-

2. Conjunctæ, cum propoſitio aliqua conſtans ſubjecto & prædicato confirmanda eſt vel refutanda: *ut, An peſtis ſit fugienda? An animæ defunctorum ſint in purgatorio? An Sancti invocandi?*

3. Loci è quibus præcipua argumenta Confirmationis, & Refutationis in hoc genere ſumuntur, ſunt

1. Definitio.

Intellige tum Nominis tum Rei. Philip. & Ariſtot. nominant quæſtionem τί ἐστι, QUID SIT? *Huic autem nonnunquam præmittitur quæſtio εἰ ἔστι,* AN SIT? *Quando ſcil. non cadit ſub aliquem ſenſum.*

2. Partitio ſive diviſio.

Quæ partes vel ſpecies?

3. Cauſæ.

Quæ cauſæ: num ſcilicet efficiens, materia, forma, finis?

4. Effectus.

Qui effectus aut conſequentia?

5. Subjecta & Adjuncta.

6. Comparata.

Quæ cognata, ſimilia item exempla?

7. Contraria.

Quæ pugnantia. Nota *hic tria. 1. Diſcrimen eſt tractationis inter quæſtionem ſimplicem &*

conjunctam. 1. *In ſimplici potiſſimum dominantur loci*, An ſit, & quid ſit? *In conjuncta* Quod ſit, & Quamobrem ſit? 2. *Illa duntaxat argumenta confirmantia, (non enim adverſarium habet) hæc verò & confirmantia & confutantia requirit.* II. *Loci enumerati non omnibus præciſè quæſtionibus adhiberi poſſunt, verùm certus in iiſdem pro diverſitate materiæ & naturæ delectus eſt habendus.* III. *In hoc genere maximè dominantur.* 1. Exempla *rerum ab aliis geſtarum.* 2. Oppoſitio contrariorum. *Cum imperitos & indoctos ſæpe magis moveat contumelia & dedecus: quàm virtus & honeſtas,* 3. Comparatio. *Poteſt enim honeſto, utili, facili, aliud eſſe honeſtius, utilius, facilius. Sic utile eſt artibus ſtudere, ſed utilius pietati.* 4. Circumſtantiæ. *Studioſiſſimè ſiquidem circumſpiciendum quid loco, tempori, perſonis, ætati, dignitati, ſexui, rebus ipſis, &c. conveniat necne.*

Exempla.

Traditurus methodi doctrinam de Pœnitentia, argumenta ſeqq. adhibeat. Occurrit.

1. Definitio. Quid ſit? 1. Nominis. *Pœnitentia dicitur Græcè* μετάνοια *à* μετὰ & νοέω, *quod eſt, demum intelligo, ad ſanam mentem redeo: Latinè nomen habet vel à pœnitet: vel à pœna, quòd dolor in pœnitentia ſit q. pœna: vel à pone tenendo, q. pœnitere ſit poſterius conſiliū tenere. Germanicè* Buſz/ Rew/ Bekehrung.

2. Rei.

2. Rei. *Pœnitentia eſt hominis peccatoris, ex divina Lege peccata agnita dolentis, per fidem Chriſti ad Deum converſio.*

2. Partes *pœnitentiæ veræ ſunt duæ.* 1. *Contritio, quæ eſt cordis propter agnita ex Lege divina peccata, iram Dei & juſtiſſimas pœnas expaveſcentis & dolentis ſeria ac vera triſtitia.* 2. *Fides, quæ eſt ex agnita divini verbi veritate per Spir. S. divinæ gratiæ per Chriſtum in promiſſione Evangelica ad vitam æternam apprehenſio.*

3. Cauſæ. Efficiens primaria, *eſt Spir. ſanctus.* Adminiſtræ ſive Inſtrumentales. 1. *Lex, per quam contritionem.* 2. *Evangelium, per quod fidem Spir. ſanctus operatur.*

Materia *ſive ſubjectum in quo, eſt homo peccator.*

Forma *converſionis, modò in definitione declaratâ, continetur.*

Finis, *ſalus & vita æterna.*

4. Effectus pœnitentiæ *eſt remiſſio peccatorum, gaudium, pax & tranquillitas conſcientiæ, itémque Nova obœdientia, quæ fructus ob id pœnitentiæ appellatur,* Matth 5. 8. Luc. 3. 8.

5. Exempla pœnitentiæ *veræ proponuntur, in Davide, Ezechia, Manaſſe, Petro, Maria peccatrice.*

6. Contraria pugnantia *ſunt deſperatio, ſecuritas, atheiſmus, epicuriſmus, & quæcunque corruptelæ doctrinæ de pœnitentia.*

Sic, ſi quis velit artis alicujus præcepta artificioſè tractare, vel de argumento utili homines docere; Ille primùm rem proponet ac definiet; deinde adhibebit partitionem ſeu diſtributionem. 3. Partes ſuo quamque loco & ordine explicabit. 4. Subjiciet ſingularum partium confirmationem ex cauſis, effectis, objectis. 5. Tranſitionis vinculis partes diſpoſitionis ſuæ collocabit. 6. Concluſionem ſubjunget.

Plura exempla, An ſit Deus? An providentia? An Manes? An infernus? An purgatorium? An ſtella Magorum fuerit naturalis? An mors mala? An voluptas ſummum bonum? An mundus æternus? habet *Dreſſer. Rhet. fol.* 110. *ad* 147. Similiter de incarnatione Filii Dei, de juſtificatione hominis coram Deo *Item:* An ſtudia Philoſophica ſint utilia Eccleſiæ? An homo juſtificetur fide ſine operibus Legis? An liceat homini Chriſtiano bellum gerere? *D. Chytr. Rhet. de Gener. Didaſc fol.* 48. *& ſeqq. Vbi vide.*

CAPVT X.

1. GENUS DEMONSTRATIVUM eſt, quod verſatur in laudando & vituperando.

[*Dicitur Græcè* τῶν ὑποθέσεων *cauſarum,* ἐπιδεικτικόν. *Demonſtrativum, quod quale quid ſit*

ſit demonſtret atque oſtendat? πανηγυρικὸν, *item* ἐγκωμιαστικὸν laudativum, *quod veris laudibus ornet & commendet probos: &* ψεκτικὸν vituperativum, *quòd improbos vituperet. Hinc ergò præcipuæ ejus formæ duæ ſunt,* ἐγκώμιον *ſive* Laus, cujus finis eſt τὸ καλὸν honeſtas, & ψόγος *ſive* vituperatio, cujus finis eſt τὸ αἰσχρὸν turpitudo. *His tamen formis generalioribus ſubjiciuntur plures aliæ: Vtpote* 1. Gratulationes. 2. Gratiarū actiones. 3. Narrationes. 4. Hiſtoriæ. 5. Lamentationes. 6. Querelæ. 7. Epithalamia. 8. Dicta vel ſcripta natalitia. 9. Panegyrica. 10. Epicedia. 11. Parentationes ſive Orationes funebres. 12. Hymni. 13. Orationes Philippicæ ſive ſteliteuticæ. 14. Satyræ & *ſimiles aliæ.*]

2. Claſſes materiarum Generis Demonſtrativi ſunt tres: vel enim laudantur aut vituperantur.

1. τὰ πρόσωπα. Perſonæ: *ut, commendatio Ioſephi, Alexandri, vituperium Iudæ, Catilinæ.*

2. τὰ ἔργα, Facta perſonarum: *ut commendatio facti Davidis proſternentis Goliathum: vituperium facti Lucretiæ ſe ipſam interficientis.*

3. τὰ πράγματα, Res: *ut, commendatio pietatis, eloquentiæ, Scholarum, regionum,*

Vrbium: vituperium ebrietatis, ſcortationis, ſuperbiæ.

3. Loci, è quibus præcipua argumenta confirmationis in hoc genere ſumuntur, ſunt vel communes vel proprii.

4. Communes ſunt, qui generatim omnibus Generis hujus Claſſibus applicari poſſunt. quorum

1. A cauſis efficientibus.

[*Hæ namque; in laudationibus inprimis complectuntur virtutem, quæ effectrix eſt honeſti, è quo omnia vitæ hujus præſidia commendationem nanciſcuntur. In vituperationibus vero vitium: quod dedecoris omnis ac infamiæ cauſa eſt.*]

2. A cauſis finalibus.

[*Laude ſiquidem judicantur digna, quæ pro aris & focis ſuſcipiuntur: vituperio, quæ contra hæc attentantur.*]

3. Ab adjunctis.

[*Qui quidem locus eſt ampliſſimus. Continet enim* bona, 1. animi, *qualia, pietas, eruditio, doctrina, virtus, fortitudo, juſtitia.* 2. Corporis, *qualia ſanitas, valetudo, robur, pulchritudo.* 3. Fortunæ, *qualia nobilitas generis,*

opus,

opus, divitiæ, nominis ſplendor, officii dignitas, majeſtas, liberorum felicitas &c. quæ non tam gemino uſu virtutum inſtrumenta ſunt, & inſigni laude poſſeſſores commendant, quàm abuſu tetro vituperationis materiam ſuppeditant.

4. Ab effectis.

[*Quæ vel maximè in commendationibus ob præclare & fortiter geſta: In vituperationibus verò ob peſſimè facta, dominantur.*]

5. A conſequentibus.

[*Ramei* effecta conſequentia *nominant: Qualia ſunt præcipuè virtutum præmia & honores ob eruditionem & res præclarè geſtas in benè merentes collati. Honores ſiquidem veram laudem & comprobant & exornant. Cùm laus virtutis merces propria; ſicut contrà dedecus, infamia, ignominia ſunt conſequentia vitiorum, præmia, quæ vituperationem exaggerant. Vbi* NOTA 1. *Si benè merentibus honorum præmia non collata, hominum id ingratitudini & temporis intemperiei adſcribendum. Cùm plerunque pro optimis benè merentium factis, peſſima ab hominibus peſſimis referri ſoleat gratia.* Nota 2. *Amplificationes inprimis in hoc genere excellunt. Vtputa, ſi in loco cauſarum efficientium oſtendatur perfeciſſe quempiam quid laude dignum, vel ſolum, vel cum paucis, vel difficilimis cum periculis*

perſonarum, rerum, loci, temporis. Similiter in loco cauſarum finalium, ſi oſtendatur feciſſe, id non privati commodi, ſed Religionis, Patriæ, ac pacis publicæ gratiâ. Si itidem comparatio inſtituatur imparium & majora minoribus conferantur ac præferantur. Quo amplificationis artificio Orator utitur in Oratione pro Marcello, ubi bellicam laudem Cæſaris, cum laude clementiæ in ſervandis civibus, confert. Nota 3. *In laudando & vituperando videndum eſt. 1. ut Oratio cum re congruat. 2. ut perſona laudantis & vituperantis ab omni vel amoris vel invidiæ affectu ſit aliena. 3. ut ſit probatæ fidei. 4. ut modum convenientem ſervet,* Dreſſer. Rhet. fol. 338.]

5. PROPRII ſunt, qui ſpeciatim ſingulis generis hujus claſſibus competunt,

[*Sicut enim Claſſes ejuſdem diſtinctæ ſunt tres: Ita etiam diſtinctos habent argumentorum fontes: alia ſiquidem argumenta adhibentur in laude perſonarum, alia in factorum, alia in rerum commendatione, quod è ſubjectis exemplis patebit.*]

I. CLAS-

I. CLASSIS PERSONARUM.

In laudatione & vituperatione Perſonarum argumenta ſumuntur:

1. E ſubjectis: Natione ſive Patria.

[*Patria namq́; pietatis & virtutis nomine illuſtris, maximè aliquem commendat. Sicut ignobilis maximè dedecorat: cum ſingulæ urbes & regiones ſingularia ſua habeant instituta, mores, leges, juxta quorum normam incolæ informantur. Sic glorioſius nil fuit olim Athenis ſtantibus, quàm dici civem Atticum: Item florente Græcia, vocari Græcum. Ignobilius contrà nil fuit, quàm eſſe Phrygem, Myſum, Lydum, Cretenſem, qui ob nativa quæpiam vitia ſemper male audivére.*]

2. A cauſis: 1. Parentibus ſive natalibus. 2. natura ſive ingenio. 3. educatione ſive diſciplina.

[Parentes *ſunt cauſæ efficientes procreantes: qui ſi illuſtres & virtute præſtantes, plerunque virtutum & generoſitatis ſemina in liberos propagant: Iuxta illud Poëtæ:* Fortes creantur fortibus & bonis, nec imbellem progenerant feroces aquilæ columbam. *Sin obſcuri, ſordidi, ignavi, ſcelerati, etiam vitiorum ſemina plerunque liberis inſtillant, Dico* plerunque,

quia non eſt perpetuum. Quandoque namque, quod Proverbium habet: Heroum filii noxæ. *Quandoque ex obſcuris & illaudatis parentibus progeniti propria virtute emergunt, & factis glorioſis nomen ſuum immortalitati conſecrant. Quod majori ipſis laudi in commendationibus cedit.* 2. Natura & ingenium *ad efficientem naturalem refertur. Eſt autem* mater omnium rerum natura. *Cicer.* quæ format prius nos intus ad omnem fortunatum habitum, *Horat. de art. Indoles igitur ejus ſi bona, commendanda.* Superat *enim, juxta Græc. Comic.* Omne doctrinæ genus. *Sin prava, vituperanda, cùm* ad mores natura recurrat damnatos fixa & mutari neſcia. *Iuven. Satyr.* 13. 3. Educatio & diſciplina *ad cauſam efficientem conſervantem pertinent. Quo referuntur & Præceptores, Informatores, Doctores. Vt autem quiſque educatus eſt, ita etiam laudari vel vituperari debet. Ideo namque ad faciendam fidem educationem adhibendam eſſe* Ariſt. Rhet. 3. ad Theodect. *ait; quia veriſimile ſit, probum à probis & bonis educatum, in bonum virum evaſiſſe.*]

3. Ab adjunctis: 1. Doctrina. 2. ætate. 3. moribus. 4. vitæ genere, aliiſque animi, corporis & fortunæ dotibus.

[*In his enim ampliſſima commendationis materia occurrit, ſi quis egregiis doctrinæ & morum virtutibus ſit condecoratus: & contrà vitu-*

vituperationis, ſi tetris vitiis & ſceleribus ſit conſpurcatus. Inprimis verò in argumento de moribus commorari ſecundùm Rhetores Eloquentiæ Studioſus, virtutésque illuſtriores in laudando, & vitia deteſtabiliora in vituperando ſpeciatim perſtringere debet. In commendatione autem morum & virtutum attendenda Tria. 1. Sexus & ætas. *Sunt enim aliæ virtutes virorum, fœminarum, matronarum, & viduarum; aliæ juvenum, virorum, ſenum.* 2. Vitæ genus, *quod triplex eſt: Eccleſiaſticum, Politicum & Oeconomicum.* 3. Officii dignitas. *Alia enim eſt laus Imperantis & Ducis bellici; nempe celſitudo animi, fortitudo bellica, rei militaris ſcientia, ſapientia, juſtitia in regimine adminiſtrando. Alia Concionatoris & Doctoris Scholaſtici: nempe ſtudium pietatis & precum, docendi dexteritas & fidelitas, amor veritatis, zelus ſanam & incorruptam doctrinam propagandi, conſtantia in confeſſione, vitæ ſanctimonia in converſatione.*]

4. Ab effectis, ſeu rebus geſtis.

[*Huc referri poteſt in commendationibus quicquid uſpiam laudatione dignum à quoquam patratum eſt: Item conſilia, Orationes, aliaque acta atque actitata omnia. In vituperationibus verò quicquid uſpiam vituperio dignum quis perpetravit.*]

5. A conſequentibus, eventu nimirum & præmiis rerum geſtarum.

[*Per eventum felicitas in rebus gerendis laudabilibus, & infelicitas in culpabilibus intelligitur. Cùm verò rerum omnium eventus à ſolo Deo dependeat, felicitas non ſolùm animi magni & conſilii ſummi eſt, ſed ſingularis etiam Dei clementiæ, erga eum, qui felici ſucceſſu utitur, judicium eſt. Inde ergo non leve commendationis argumentum ſumitur. Vbi unum* nota è *Dreſſer.*fol.356.*Cum fœlix rerum eventus non ſit in noſtra poteſtate, non omnis laus detrahenda eſt illis, qui in patrandis etiam egregiis facinoribus, peſſimum ſortiuntur exitum.* Sæpè *enim quod in Proverbio dicitur,* optimè cogitata peſſimè cedunt. *Quo quidem in caſu attendendum eſt axioma.* Non ſemper ex eventu, ſed ex cauſa, vel animo voluntateque cujuſque facta probanda, *Iuxta illud Poëta.*

—— —— careat ſucceſſibus opto.
Quisquis ab eventu facta notanda putat.]

6. A privantibus: Morte ſcilicet ſive vitæ exitu.

[*Qui piè in Chriſto vivunt, plerunque etiam placidè in Chriſto obeunt: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Contrà plerunque* ſine cæde & ſanguine pauci, Deſcendunt Reges & ſicca morte Tyranni *Dico* plerunque,

quia

quia nec hoc perpetuum eſt. Ideoque cum diſcretione juſta hoc argumentum tractandum. Eſt etiam mors alia honeſtior alia: nam pro patria magnum dulceque poſſe mori; *majus pro Chriſto & Religione. Pretioſa mors Sanctorum ejus, Pſal.*119.]

7. A Teſtimonio; opinione videlicet poſt mortem.

[*Huc referuntur*, exiſtimatio, honor, monumenta, ſtatuæ, trophæa, *poſt mortem in defuncti honorem erecta atque inſtituta.*]

Atqui hi ſunt præcipui argumentorum loci, qui ex commendationibus perſonarum vulgò adhiberi ſolent. De quibus pro coronide generale hoc præceptum nota: In commendationibus perſonarum non neceſſarium eſt ut ſcrupuloſè omnes locos excutias, & de ſingulis ſuperſtitioſè aliquid proferas. Sufficit namque ſi præcipuos duntaxat, qui inſtituto conveniunt, proſequaris. Aut ſi præter eoſdem aliud ſeſe offerat, decenter adjiciatur.

Exemplum laudationis perſonarum.

COMMENDATIO EOBANI HESSI,

Poëtarum ſui Seculi Regis & Principis.

Commendaturus Eobanum Heſſum Poëtarum ſui ſeculi Regem & Principem, argumentum confirmationis ſumat. a 1. à Natione ſive Patria. *Eobanus Heſſus natus eſt in ſuperiori Haſſia Tragocomi, in pago exiguo, vulgo d.* Bockendorff / *ſito non procul à Gemünda ſupra Wohram, in confinio Cœnobii Haynenſis* in der Bonnſtrudt / *unde ſeipſum Græco nomine Tragocomenſem nominat, Anno à Chriſto nato 1488. die Ianuar. Feſto trium Regum ſacro.*

b 2. A cauſis. *Parentes ejus fuerunt quidem ignobiles, attamen honeſti & pii, ſicut ipſemet ſcribit Heroid. lib. 2. eleg. ad poſteritat.*

Quæ mihi ſigna domus, qui ſint ne quære Parentes.
Pauper uterque fuit, ſed ſine labe parens.

Eorum verò Familia noſtra adhuc memoria illic loci reſidua, & avito nomine indigitatur Gob=

a Natio Patria. b Parentes ſive natales.

Gobbeheim: *unde & Eobanum dictum quidam volunt.* Helius *cur vocetur, explicat* lib. I. Sylvar. ſub finem: *quia ſcilicet Helius (Sol ſive Phœbus) Poëtarum habeatur Deus, & ipſe Solis die ſit natus.* [a] *Indoles in eo emicuit naturæ & ingenii à pueris optima, & non niſi ad magna proclivis. Prima rudimenta literaria jecit in Schola Gemündenſi, anno ætatis fermè decimo.*

Namque fere nuper Germania noſtra ſolebat,
Non pueros, ſtudiis, ſed dare pene viros.

Quod ipſe de ſe ſcribit Heroid. l. 3. *Inde fundamenta Græcæ & Latinæ Linguæ in Francobergenſi Schola poſuit. In qua Carmina etiam, cum* lex ipſe verſus cognita nulla fuit, *ad multorum admirationem compoſuit.*

3. Ab adjunctis. *Præditus fuit ſummi ingenii, doctrinæ percultæ & virtutis præclaræ excellentia, quam in Academia Erphurdienſi primum hauſit, quod ipſe de ſe ſcribit* alleg. Heroid. l. 3.

[b] *In regio verò Boruſiorum monte, Cracoviæ item Polonorum mirificè adauxit. Circiter annum ætatis trigeſimum Erphordiæ primum cum tanta dexteritate, facundia, applauſu & concurſu* [c] *Hiſtor. Poëtic. & Rhetoric. docuit; ut Lectorium etiam auditores omnes capere non potuerit.*

a. Naturæ indoles. Educatio ſive doctrina.
b Ætas. c Vitæ genus.

potuerit. Deinde Rectoratum Scholæ Norimberg. aliquot annis adminiſtravit: & denique in Academia Marpurgenſi Hiſtor. & poëſ. feliciſſimè publicè profeſſus fuit. [a] *In quo vitæ genere morum in ipſo tam in Publica quàm privata converſatione emicuit integritas ſumma. Virtutis enim & pietatis fuit ſtudioſiſſ. erga omnes humanus, benignus, nulli moleſtus, omnibus æquus, in colloquiis ſevioribus gravis, in familiarioribus verò facetus, apertus, candidus, & Poëta, ut uno verbo dicam, verè Germanus. Corporis ſtatus erat integer, membra robuſta, forma decens, animus fortis: quo de ipſemet lib. Heroid. 3. elegia allegata.*

[b] Corpus erat membriſque decens, patienſque laborum.
Robore firma ſuo, brachia, crura, latus.
Forma virum decuiſſe poteſt, ſine labe decenſque.
Frons diverſa, animi ſpiritus altus erat.

4. Ab effectis. [c] *Res præclare geſtas arguunt edita ſcriptorum monumenta, digeſta in farragines poëmatum duas, decem diſtinctos tractatus continentes: præter Epiſtolarum familiarium lib. 12. Proverbia, Eccleſiaſtem Salomonis & pretioſiſſimum Pſalmorum Davidicorum opus verè ſacroſanctum.*

5. A con-

[a] Mores & dotes animi. [b] Dotes corporis.
[c] Res geſtæ.

5. A conſequentibus. [a] *Præmiis à viris illuſtribus variis & honorum titulis merito ſuo condecoratus fuit. Vt nil de honorariis ampliſſimis, quibus, quandoque affectus fuit, dicam. Literatiſſimi certò ſui ſeculi viri, honorificentiſsimum Regis ipſi nomen indiderunt, adeoque Regem & Principem Poëtarum ipſum nuncuparunt, cujus nominis cauſam ipſemet exponit,* Sylv. l. 2. eleg. ult.

6. A privantibus. [b] *Longævitate fuiſſet digniſsimus: at præter ſpem tabifico morbo correptus, Margurgi 3. Non. Octob. Anno Chriſti* 1540. *placidè in Chriſto obdormivit, cum vixiſſet annos* 52. *menſ.* 8. *d.* 29. *magnum ſui deſiderium & admirationem poſteris relinquens.*

7. A Teſtimonio. [c] *Quam acerbus omnibus doctis & bonis obitus ejus luctuoſiſſimus extiterit, vel ex eo conſtat, quod corporis derelicti exuvias honeſtè non tantum ad Chorum ſummi templi D. Eliſabethæ meridionalem ſepelierunt, ſed & honorificentiſsimis Epicediis ac Epitaphiis in ſempiternam nominis memoriam demortuum exornârunt. Quid quod &*

Fama manet terris, dum volvit ſydera cælum,
Carmine victuro nobilis Heſſus erit.

Subjiciatur concluſio.

Confer cum his vitam Eobani à Joachimo Camerario deſcriptam. Commendationem Joh.

a Eventus & præmia. b Mors & vitæ exitus.
c Opinio poſt mortem.

Joh. Baptiſtæ. Item Henrici Leonis Saxon. Ducis, habet Chytræus *Rhetor. fol.* 126. Jacobi Patriarchæ, Dreſſerus *Rhetor. fol.* 360. M. Aurelii Antonini, *idem fol.* 368. D. Lutheri, Schollius *in exerc. Rhet. Schola* 11. Thucydidis, *Aphthon. in Progymnaſ.* Demoſthenis & Philippi Regis Macedon. *Hadamar. in Aphthon. Progymn.* Ubi *nota* vituperationis argumenta ſumi è locis contrariis. Vituperationem Juliani Apoſtatæ habet Dreſſerus. *fol.* 381. Jeſuitarum, Scholl. *Schol.* 13. Paridis, Phalaridis & Annibalis *Hadamar. in Aphthon. Progymnaſ.*

II. CLASSIS FACTORUM.

In laudatione & vituperatione Factorum argumenta ſumuntur:

1. Ab honeſto, ſive cauſis efficientibus.

Dico ab honeſto ſive cauſis efficientibus; *puta ab inventoribus, Auctoribus, item ab antiquitate & virtute, quia ex his honeſtas deſumitur. In hoc ergò argumenti genere oſtendemus inſignem aliquam, vel plures virtutes, ut prudentiam, religionem, pietatem, naturam, legem.*

2. Ab utili, ſive effectis aut fine.

Ex

Ex effectis namque ſive finibus utilitates & neceſſitates deſumuntur. Hic ergo oſtendemus factum exiſtere perutile & neceſſarium Reipubl. conſervandæ, Religioni amplificandæ, utilitate Magiſtratus, ſubditorum omnium ordinum, præſentium, poſterorum domeſticorum, peregrinorum promovenda, bonis item animi, corporis & fortunæ augendis.

3. A facili & difficili, ſive adjunctis circumſtantiis.

Ex his namque ſicut facultas aut difficultas omnis oritur, ita ex iiſdem æſtimanda erit. Hic ergò oſtendemus, quam negotium arduum ſit, nec facilè à quoquam abſolvi potuerit, quod multorum conatus ſæpè in eodem fruſtrà adhibiti, quòd rarò aut nunquam ſimile viſum.

Porrò in hac claſſe notanda *ſunt* quatuor: *I. Factorum commendatio & reprehenſio ſumi poteſt etiam ex aliis inventionis locis, ſuprà generatim in hoc genere propoſitis, ex his tamen commemorati tres excellunt. II. Sunt quidem illi tres loci etiam Generis deliberativi: Quibus enim rationibus faciendum eſſe aliquid ſuadetur, iiſdem etiam commendatur: id quod notabamus generaliter ſupra* cap. 9. explicat. Theorem. 1. *III. Præcipua amplificationis vis in hac factorum claſſe conſiſtit in eo, ut* 1. *præcipua membri facta aptè transferantur ad locos communes: & hi* 2. *adhibitis exem-*

exemplis & circumſtantiis aliis exornentur. Vbi comparatio ab Imparibus & diſsimilibus maximè excellit. Sic commendaturus, dicis gratia factum Alexandri Magni, uxorem & filias Darii, quas poſt partam ad Iſſam victoriam ceperat, adſpicere nolentis, ne illicitis flammis exardeſceret: transferre poterit Orationem ad locum communem de caſtitate & pudicitia etiam in ſtatu matrimoniali ſanctè & ſincerè colenda. IV. Narratio quandoque in laude factorum, ſed non niſi in re nota, omittitur.

EXEMPLUM LAUDATIONIS FACTORUM.

Commendaturus factum Illuſtriſsimi Herois Philippi Senioris Haſſiæ Landgravii, &c. *quod expulſis è Cœnobio Haynenſi otioſis Monachis, illud ipſum in Xenodochium pauperum convertit, præmiſſo Exordio & propoſitione, ſubjiciat ante omnia Narrationem: cùm facti hujus circumſtantiæ non omnibus notæ ac obviæ, huncferè in modum.*

Situm eſt Illuſtre Cœnobium Haynenſe in ea Haſſiæ ſuperioris parte, quæ olim ad Comitatum Zigenhaynenſem pertinuit, in confinio Comitatus Waldecenſis, diſtans à Waldeco miliaribus duobus, à caſtro Zigenhaynenſi ſimiliter. 2. Gemünda ſupra Wohram miliar. dimid. à Francoberga miliar. uno cum dimid. in loco, paſcuis, ſylvis, rivis, patris & agris

amœniſſ.

amœniſſ.extructum, Anno à Chriſto nato 1221. *à Monachis Ordinis Ciſtertienſes: Qui Ordo an. Chriſti* 1089. *in Burgundia primùm in ſolitudine Ciſtertii, à qua & nomen obtinuit, ſub Vrbano Pontifice cœpit, id quod ſeq. docet verſic.*

Anno milleno centeno bis minus anno,
Sub Patre Roberto *(primo Abbate)* cœpit
Ciſtertius Ordo.

Exinde verò in Diocœſin Colonienſem in Oldencampe tranſlatus anno 1132. *die Aug.* 25. *& tandem interveniente mutatione loci convenientioris creberrima, fixam ſibi ſedem ac domicilium in Hayna collocavit; Cœnobio erecto, quod, ſi vel ædificiorum illuſtrem ſpectes magnificentiam, vel munificam annuorum redituum ac cenſuum opulentiam conſideres, totius Haſſiæ Cœnobia alia ſuperat, cum exterarum verò regionum monaſteriis, etiam ditiſſimis, optimo jure certat. Quanquam verò auctis ſubinde poſſeſſionibus, Ciſtertienſes Fratres domicilium hoc ſuum ſummo fortunæ ſplendore ultra trecentos annos poſſederunt, factum tamen tandem eſt, ut luxuriantibus rerum ac bonorum copiis, luxuriarent & ipſi, ſpretoque vero religionis cultu & devotis pietatis exercitiis, genio ſuo ſuaviter non ſolùm indulgerent, cuticulam lautè curarent, poculis ſtrenuè inhiarent, laſcivias Venereas propudiosè explerent, ſed altercationibus atque diſcordiis mutuis invicem ſeſe morderent, præpoſitis Abbatibus inſul-*

inſultarent, eosdemque, ut cuſtode remoto liberius cupiditates ſuas ſectari poſſent, foras, abire juſſos è medio ſuo propulſarent, atque ſic Cœnobii bona, quantum quidem in ipſis eſſet, impiè pro lubitu ſuo dilapidarent. Itaque non tàm, ipſius rei deteſtandæ indignitate commotus, quàm heroico pietatis & ſinceræ religionis zelo percitus Illuſtriſſ. Heſſorum Princeps Philippus, heros verè magnanimus, pro tuenda principali in omnes ditionis ſubditos, clericos æquè ac laicos, jurisdictione, ut tandem aliquando abominandum iſtum Eccleſiaſticorum bonorum abuſum è medio tolleret, inque legitimum, in quem dicata primitus fuerant. uſum reſtitueret, præmaturo habito conſilio, otioſis, luxurioſis, guloſis, altercoſis iſtis Monachis, verè gaſtrimargis & ventribus inutilibus, Anno 1527. expulſis in eorundem locum, claudos, cæcos, mutos, ſurdos, mancos, veſanos, lunaticos, phreneticos, & alios quoſcunque debiles ac pauperes, è tota ſua ditione undequaque collectos, ſubſtituit; atque ſic illuſtre hoc Monachorum aulæum in celebre pauperum Ptochotrophium convertit, erecta ac confirmata principali hac conſtitutione, ut quotannis quadringenti vel quingenti vel circiter, pauperes ex annuis Cœnobii reditibus alantur, quibus tàm victus, quàm amictus ad vitæ dies neceſſarius, plus quàm principali ac verè Chriſtiana liberalitate gratuitò ſuppeditetur: additis inſuper privilegiis, quibus ſacroſanctè cautum, ut conſtitutio hæc religioſiſſimè à

ſingulis Haſſiæ Principibus aſſervetur, nec à quoquam, quocunque de prætextu, ſub gravi divinæ comminationis fulmine, in ſeculorum ſecula immutetur. Hic rei geſtæ actus eſt, Quo quid per Deum immortalem honeſtius, pulchrius, utilius & laudabilius eſſe potuit?

Confirmationis argum 1. ab honeſto. *Sinamque honeſtum æſtimatur, quicquid pro aſſerendo honore & gloria Dei ſuſcipitur, hoc quid honeſtius? Si pium, quicquid redituum pro Religionis & cultus divini ſuſtentatione, impenditur, hoc quid pium magis? Si pulchrum, quicquid tàm naturæ legibus, quàm pietatis regulis congruum; hoc quid pulchrius? cum non ſit minoris pietatis & virtutis teterrimos Eccleſiaſticorum redituum abuſus vindicare, quàm annuo eorundem cenſus conſecrare. Præſertim cùm non ab homine de Schola, multò minùs è triviis vocato, ſed à Principe, & quidem Heroe tali ſuſceptum, cujus invictus pietatis & religionis zelus toti Chriſtianorum orbi innotuit, prudentia verò ſingularis in rebus peragendis difficilis ſæpiſſimè illuxit.*

2. Argument. ab utili. *Quanta verò utilitas ex unico hoc facto in communem pātriæ commoditatem redundârit, quid opus eſt pluribus operosè deducere? Res ipſa loquitur, nihil univerſæ patriæ noſtræ tàm regioni conſervandæ, quàm religioni illuſtrandæ, accidere potuiſſe utilius; cùm hoc unum in pauperiorum ſalutem, in ſeram uſque poſteritatem cedat;*

quibus

quibus alioquin miſerè contabeſcendum & tantum non fame pereundum eſſet.

Amplificat. 1. à Loc, commun. *Et ſanè pauperibus benefaciendum non tantùm, ſed & ampliſſimum eleemoſynas in egenos collatas fœnus eſſe, Scriptura hinc inde dictis exemplis monet.*

Amplificat. 2. à compar. imparibus. *Perſuaſi equidem Monachorum næniis fuere pii majores noſtri, optime conſultum fore & animæ ſaluti & patriæ incolumitati, ſi optimos proventus ac cenſus Monaſterio huic dicarent, & alendis pinguibus, ejus fratribus conſecrarent: At meherclè quadringentos quin & ſæpè quingentos pauperes iiſdem ſumptibus ac reditibus victu & amictu ſuſtentari, quibus octodecim vel viginti Monachi, inutilia terræ pondera, alebantur, utilius longè toti Haſſiæ eſſe, vel pueris judicare facile eſt.*

Amplificat. 3. à comparat. Imp. *Erat Principis hujus factum planè heroicum, ut innumera, quæ perpetravit, alia prætercam, quod Vdàlrico Duci Wirtenbergico ditionem ſuam, à qua anno* 15. *exulârat, armatâ manu Anno* 1534. *reſtituit. At præſenti hoc æquiparandum minimè: eſto namque, extraneæ ditionis incolumitatem civium ſuorum clade quæſivit, hoc verò ſaluti ſubditorum patriæ ſuæ ſine cæde & ſanguine clementiſſima benignitate proſpexit.*

3. Arg. à difficili. *Et ſanè negotium hoc fuiſſe arduum*

arduum & difficile, conſtabit, ſi vel ætatem Principis ſpectemus, quæ juvenilis fuit: vel Imperii Statum, qui ob Religionis diſſidium, Proteſtantium fœdere, anno proximè præcedente, inito, periculoſiſſimus fuit: vel Monachorum conatum, qui fuit infenſiſſimus. Expulſus ſiquidem abbas Meinolphus cum quibuſdam Fratribus, rem ad Clementem V. Pontif. Rom. detulit, qui atroci ſcripto coram Imp. Carolo V. Principem accuſavit, tantumque effecit, ut miſsis Haynam Legatis Cæſaris, re cognitâ, Abbas cum ſuis reſtitueretur. Quibus tamen adventantibus, prudenti Principis conſilio, Xenodochii Præfectus, verè nobilis & magnanimus vir Heyntz von Ludder/ *gravi Oratione rem omnem, ut geſta erat, explicuit, ac productis in medium omnibus & ſingulis, quos interea temporis collegerat, claudis, cæcis, ſurdis, mutis, mancis, &c. Ipſimet dijudicandum reliquit, num ſatius, juſtius & æquius foret, homines hos pauperes, vel ſolo aſpectu miſerabiles, in exilium ejicere, eorundemque in locum poſtliminio, farſos iſtos obeſos & luxurioſos Monachos, qui neque Deo neque hominibus utiles, ſubſtituere. Quo miſerabili ſpectaculo Legati ad commiſerationem flexi, re infecta, negotium omne Cæſar. Majeſt. relaturi, diſceſſêre. Atque ſic Dei Ter. Opt. maximi providentia, Cæſaris clementia, Principis prudentia, Illuſtris hujus Xenodochii confirmatio in hodiernum uſque diem ſubſtitit,*

Concluſ. *Oremus* DEUM; *ut opus illud bonum, quod operatus eſt in nobis, confirmet, & Principis noſtri exemplo, ad parem benignitatem alios exuſcitet.*

Exempla alia de tranſitu Iſraëlitici populi per Jordanem. De diluvio. De facto Phineæ. De facto Joſuæ, ſolo buccinarum clangore Hiericho capientis. De conſtantia S. Ignatii leonibus objecti, habet *Dreſſer. fol.* 479. *ad* 490. De Alexandro Magno, nolente attingere uxorem & filias Darii. Item, aſſiduè in exercitu Homeri Iliada legenti, *D. Chytræ. Rhet. fol.* 144. De Davide interficiente Goliathum, *Schollius exerc. Rhet. Schol.* 14. De matronis quæ maritis perduellibus ſuâ pietate & fide conjugali impunitatem & libertatem à Cæſare impetrârunt, *id. ibid.* De Ænea, *Hadamar. in Progymn. Aphthon.* De expeditione & victoria Philippi Haſſiæ Landgr. in Ducatu Wirtenbergh. *Eobanus Heſſus oper. Poët. farrag. poſt.* Ultimo & hic *nata:* Vituperationes factorum ſumi è locis contrariis, 1. *ab inhoneſto.* 2. *ab inutili, &c.* Exempl. vituperationis habet *Scholl. Schol.* 15. De facto illorum, qui fures indicta cauſa ſupplicio affici curârunt, poſtea de facti qualitate, juréne an injuria ſuſpenſi eſſent, diſputantes: Ad cujus normam tractari poteſt & injuſtum illud factum Tridentinorum Epiſcoporum, qui Concilio ſuo Lutheranos hæreſeωs indicta cauſa damnârunt.

III. CLAS-

III. CLASSIS RERUM.

In laudatione & vituperatione Rerum generatim argumenta ſumuntur

1. A cauſis, ſive honeſto.
2. Ab effectis, ſive utili.
3. Ab adjunctis, ſive jucundo, facili: hisque contrariis.

Dico 1. generatim, *quia hi loci etiam commendationi & vituperationi, omnibus materiis Generi Demonſtrativo ſubjectis, inprimis verò factorum applicantur, quod notavimus ſupr. in princ. cap.* 10. *Vnde Rhetores monent, eadem prorſus argumenta in commendatione rerum adhiberi poſſe, quæ in commendatione factorum: nempe ab honeſto, utili, difficili. Dico.* 2. hisque contrariis: *Quia in vituperatione rerum loci contrarii adhibentur, nempe ab inhoneſto, ab inutili, à difficili, &c. At cum Res & plurimæ ſint & vel maximè diverſæ, ſingulis iidem confirmationis loci applicari nequeunt, ſed alii aliis, pro ſubjectæ rei qualitate, conveniunt. Alia ſiquidem ratio fuerit commendandæ virtutis, alia regionis, fontis, &c. Ideoq́ neceſſario ex Rhetorum præſcripto de diſtinctis diſtinctè agendum erit. Sunt autem res vel* incorporeæ, *quæ animo ſubjectæ, oculis verò non oppoſitæ, ut virtutes, artes: ſcientiæ, vitia,*

linguæ, conſugium, Magiſtratus, Politia, &c. Vel corporeæ, *quæ oculorum ſenſibus ſubjectæ. Eæque ſunt vel* animatæ ſentientes, *ut animalia bruta, greſſibilia, reptibilia, volatilia, natatilia. Vel* animatæ vegetativæ ſive non-ſentientes, *ut plantæ, herbæ, frutices, arbores, &c. Vel* inanimes; eæque vel naturâ ſic productæ; *ut Regiones, Inſulæ, portus, montes, lapides, ſaxa, flumina, fontes, gemmæ, metalla, &c. Vel* arte productæ, *ut urbes, arces, ædificia, caſtella, templa, horti, agri, omniſque generis ſtructuræ & machinæ aliæ. Vel* conſilio & inſtitutione hominum ſic inſtructæ, *ut convivia, pompæ triumphales, equeſtres vel funebres, peregrinationes, &c. Singulis ergò hiſce Rerum claſſibus ſinguli etiam loci, per quos tractari poſſunt, oculis ſubjiciendi erunt.*

I. Virtutes, artes, linguæ, &c. commendantur.

1. A dignitate & honeſtate, ſive cauſa efficiente procreante.
2. A neceſſitate.
3. Ab utilitate (*effectis.*)
4. A facilitate } *Adjunct.*
5. A ſuavitate }

Alii in commendationibus virtutum ordine methodico procedunt incipientes. 1. à definitione. 2. à cauſis. 3. effectis. 4. cognatis. 5. contrariis:

trariis: verùm & in hoc & in iſto ordine, pro thematis propoſiti qualitate, alia atque alia etiam argumenta à comparatis præcipuè & teſtimoniis in amplificationibus adhiberi poſſunt. —— Sit thema

LAUS LINGUARUM.

Propoſitio. *Meritò linguarum cognitio omnibus commendata eſſe debet.*

Confirm. arg. 1. à cauſa efficiente procreante conſervante. *Eſt enim hominibus natura ab ipſo Deo in primæva creatione ingenita, poſt lapſum etiam eidem relicta, earundemque diſperſio poſt ædificationem turris Babylonicæ, ſingulari Dei diſpoſitione facta, & hucuſque mirificè conſervata.*

2. A neceſſitate. *Nullum ſcientiarum genus ad veram Religionis doctrinam, ad Reipubl. conſtitutionem, ad civilis vitæ conſervationem, ad negotiationum & commerciorum ſocietatem, ad morum denique, ſtudiorum & doctrinæ informationem magis neceſſarium eſt.*

5. Ab utilitate. *Patet id ipſum ab immenſis utilitatibus, quæ inde in univerſos totius generis humani ſtatus reſultant.*

Amplificatio è diſtrib. ſubject. *Quis enim S. Scripturæ Codicem abſque Linguarum, Hebrææ & Græcæ inprimis cognitione, rectè intelligere, intellectum dextrè aliis explicare, explicatum à variis Spirituum Fanaticorum depravationibus feliciter vindicare, & ſolida*

ſanæ doctrinæ ac Religionis Chriſtiana fundamenta propugnare poteſt? Quis Leges interpretari, æquum ab iniquo diſcernere, & jus abſque Linguarum cognitione dicere poteſt? Quis morbos varios inveſtigare, affectus & ſymptomata dijudicare, & curando ſanitatem abſque Linguarum cognitione reparare poteſt? Quis reconditos Philoſophicæ ſcientiæ receſſus penetrare, Hiſtoricos, Politicos, Poëtas, alioſque utiliſſimos Auctores legere, eorundemque lectione Politiæ & Oeconomiæ legitimè adminiſtrandæ theſaurum ſibi comparare abſque Linguarum cognitione poteſt? Vt civilium negociationum mercimonia, contractus, pacta, fœdera, quæ abſque Linguarum notitiâ nec contrahi, nec ſervari poſſunt, ſicco jam pede tranſiliamus.

4. A facilitate. *Nec eſt quod difficultatem cognitionis quis nobis objiciat, ſi enim quæ eſt, ea non in Linguis ipſis, quæ maximè homini naturales, ſed in traditionis & perceptionis præceptorum modo duntaxat latet. Illa removeatur, adhibeatur ſedulitas, affectetur perſpicuitas, & facilè pateſcet facilitas.*

5. A ſuavitate. *Inde verò quanta reſultet ſuavitas, dici vix à Linguarum gnaris, ac nec credi vix ab inſciis poterit. Quid ſuavius, quàm vernaculâ ipſius Dei Linguâ loqui poſſe? Quid dulcius, quàm Arabes, Græcos, Hebræos, Latinos Auctores, in originali quemvis Lingua, legere & intelligere poſſe? Quid jucundius, quàm cum Orientalibus & Occidentalibus*

Natio-

Nationibus ac populis ſermones mutuos abſque interprete conferre poſſe?

Amplific. à Compar. Imparibus *Gloriantur hodiè admodum vanè ſuperſtitioſi Germani, ſi vel Gallicè vel Italicè confabulari cum exteris poſſunt, potiori jure in ſinum ſibi congratulabuntur, qui Linguas Orientales, & Cardinales reliquas callent, & iiſdem animi ſenſa promere norunt.*

Concluſio conſtet repetitione ad præcipuorum argumentorum & adhortatione ad percipiendam Linguarum cognitionem.

Laudationem Juriſprudentiæ habet *Cicero lib.1.de Orat.* Sapientiæ, *Aphthon.in Progymn.* Eloquentiæ, *Hadamar. in Aphthon.* Rhetoricæ, *Chytræ. in Proœm. Rhet.* Hiſtoriarum, *idem Rhetor. fol.*133. Quartanæ febris, *Phavorin.* Moriæ, *Eraſmus.* Magiſtratus, *Schollius exerc. Rhetor. Schol.* 8. Vituperationis argumenta ſumuntur è contrariis, 1.*inhoneſto.* 2.*non neceſſario.* 3. *inutili*, *&c.* Vituperationem ſuperbiæ habet *Scholl. Schol.*9.

II. Animalia bruta laudantur

1. A genere animantium.
2. A ſubjecto loco habitationis.
3. Ab adjunctis naturæ dotibus.
4. Ab effectis, utilitate ſeu geſtis.
5. Vitæ & mortis genere.

In animalium commendationibus conquirendæ ſunt inprimis ex hiſtoria animalium ipſorum proprietates, & indagandæ naturæ dotes, quibus à Deo quodcunque præditum eſt. Hæ namque præcipuum argumentum commendationis ſuppeditant & amplificari variè poſſunt. 1. à contrario. 2. comparatione ſimilium, ſimulacra virtutum, quæ in illis refulgent, ad aliorum informationem transferenda. Sit thema

COMMENDATIO OVIS.

Propoſitio. *Dicturus ſum de laude Ovis, quæ licet inter bruta reliqua abjectum animalculum reputetur, vel eo tamen nomine maximè commendanda, quod non electi ſolùm & fideles, ſed ipſe etiam Filius Dei in ſacris literis cum ovicula comparatur.*

Confirm. arg. 1. à genere animantium. *Eſt autem Ovis animal brutum, manſuefactum, quadrupes, lana undique capitis & pedum extremitatibus exceptis, veſtitum, voce balatum excitans.*

2. Argum. à loco habitationis. *Vt verò manſuetum eſt animal. ita & inter homines habitaculũ ſuum figit, æſtate quidem in agris, campis & ſylvis inter congregales degens, hyeme verò ob nivium & frigoris intemperiem, in tuguriolorum ſtabulis deliteſcens. Quod ſingulari, dubio procul, divinæ providentiæ diſpoſitione factum, ut familiari hac animalis hujus inter*

inter mortales cohabitatione, eximias ejuſdem dotes, homines frequentius coram intuentes, egregia inde virtutum Chriſtianarum ſimulacra ad ſui informationem caperent.

3. A naturæ dotibus. *Si quodpiam eſt animal, cujus dotes naturales homini imitandæ proponuntur, ovis certè præ reliquis fuerit: Inter innumeras verò occurrit.* 1. fidelitas & dilectio. *Adhæret namque fideliſſimè paſtori ſuo, eundemque unicè diligit & vocem ejus audit.* [a] *Vnde Iſidorus*, agnus, *ait*, ab agnoſcendo dicitur, quod inter omnes ovium greges matrem ſolo balatu agnoſcit. *Quo ipſe imitationis exemplum Chriſtianis præbet, ut & ipſi paſtori animarum Chriſto Ieſu uni & ſoli adhæreſcant, vocem ejus audiant, & ipſum ſolum diligant, vide* Joh.10. *Occurrit* 2. ſimplicitas & innocentia: *Eſt ovis animal ſimpliciſſ. pacificum & maximè innocens, nec enim cum ſui generis pugnax eſt, nec minatur cornibus, ut bos, nec dentibus laniat, ut lupus nec calcibus ferit, ut equus, nec voce terret, ut leo, nec unguibus rapit, ut felis: nec venenum habet, ut vipera. Sic & Chriſtiani quivis debent eſſe ſimplices, ut columbæ*, Matth.10. *Deponentes omnem malitiam & dolum. &c.* Vid. 1. Petr.2. *Occurrit.*3. manſuetudo & patientia. *Sola ovis cum ad occiſionem ducitur, non grunnit, ut porcus, non reluctatur, ut taurus, non recalcitrat, ut equus, ſed prorſus obmuteſcit, nec os aperit,* Eſai. 53.

a Unde Baſil. hom. 9. Heramet. fol. 47.

Sic & Chriſtiani patientes malorum eſſe debent, Heb. 10. 32. *Per patientiam animas obfirmate*, Jac. 5. 8. *& poſſidere* Luc. 17. non colluctando, ſed ſufferendo; non murmurando; ſed gratias agendo, *Caſsiodor*, *Occurrit*. 3. ſobrietas & temperantia. *Carptim namque, etiam ad paſcua uberrima deducta, herbas decerpit, & modicis eſt contenta paſcuis, Sic & Chriſtiani ſolis neceſſariis contenti eſſe debent habentes alimenta & tegumenta*. 1 Tim. 6. *terrena reliqua non aliter ac canes ad Nilum tranſeuntes degunſtantes. Occurrit*. 4. naturalis inter ovim & lupum ἀντιπάθεια & bellum q. ἄσπονδον, *quæ tanta, ut & lyræ de inteſtinis ovis & lupi fabrefactæ, teſtudini applicatæ nunquam ſoni conſonantiam edant. Admonent eadem inter Chriſtianos & lupum infernalem perpetuam eſſe pugnam & bellū q. irreconciliabile*, 1 Pet. 5. *Occurrit*. 5. timiditas. *Lupum enim vehementer exhorreſcit, & ad primum ejus aſpectum fugit. Ita & Chriſtiani Diabolum perpetuò timere, exhorreſcere & fugere debent. Sed quis quæſo omnes & ſingulas ovium dotes enucleatim enumerare poſſet? Quotuſquiſque verò Chriſtianorum excultus iiſdem & præditus invenitur? Si juſtis pretiis rem æſtimare velimus, erit vixunus & alter. Vſque adeo & bruta, bonitate ſua naturali etiam homines, quorum corda ſacella tamen pietatis eſſe debebant, multis paraſangis ſuperant*.

2. Ab effectis. *Quid verò de effectis Oviculæ*

cula memorem? commemoranda eſſent plurima, ſed unum ſi attigero, omnia me commemoraſſe confido. Ovis eſt animal omnium utiliſsimum, omnium optimum, in quo ne minimum quidem, etiam de inteſtinis & excrementis invenies, quod uſui humano non ſit mirificè adoptatum. Quo ipſo omnes nos edocent, eſſe ſcilicet optima opera, & varios veræ fidei ac charitatis fructus edendos, ut toti, quanti ſimus, quanti ſimus, opere demonſtremus. Hic enim Probatio dilectionis, eſt exhibitio operis, *quod dicit in homil. B. Hieronym. Singula hæc diſtributitione ſubjectorum variè amplificari poſſunt, &c.*

Commendationem Apis habet *D. Chytræus Rhet. fol.* 136. Cygni, Columbæ, Ciconiæ, phœnicis & Pardalis, *Dreſſerus Rhet. fol.* 409. Canis & Ciconiæ. *Schollius Schol.* 16. Bucephali equi Alexandri M. *Gell.* 5. 2. Muſcæ, *Lucian.* Bovis, *Virgil. in Georg.* Aſinorum, *Iohan. de Indag.*

III. Plantæ, herbæ, frutices, arbores. &c. commendantur

1. A nomine ejuſque notatione.
2. A forma.
3. A ſubjecto loco.
4. Ab adjuncto tempore.
5. A temperamenti qualitate.
6. Ab effectis ſive uſu.

Quandoque etiam, ſi occurrat, συμπάθεια & ἀντιπάθεια earundem pro argumento ultimo declaranda. Præcipua autem amplificationis argumenta deſumenda ſunt ex herbarum & fruticum artificioſis indagatoribus, Dioſcoride puta, Plinio & aliis, qui plantarum & herbarum vim ſtudioſiſſimè inveſtigârunt. Interſerenda etiam, amplificationis gratia, applicatio ſimulacrorum & virtutum, quæ ſub herbarum proprietatibus nobis adumbrantur. Noſtrum hîc eſto Thema.

COMMENDATIO RUTÆ.

Propoſitio. *Luctuoſiſſimum hoc tempus, quo peſtiferæ luis contagium latè hinc inde ſerpit, plurimaque oppida, vicos & pagos inficit, admovet me, ut de Ruta, quæ præſentiſſimum, communi omnium naturæ Magiſtrorum opinione, omnis veneni remedium judicatur, paucis verba faciam, ejuſque naturam breviter Orationis penicillo depingam, & ad noſtri informationem accommodem.*

Confirmat. Argum. 1. à Nomine *Varias autem herbæ huic appellationes indiderunt: A Dioſcoride* lib. 3. 647: Rhyten & Paganon *dicitur: Apuleius* cap. 89. Viperalem *nominat, quod viperis infeſta: Vulgato verò nomine* Ruta *appellatur, dubio procul notat. ab effect. quod venenum quodvis aſſumptum è latebris quibuſvis corporeis eruat & propellat.*

2. A forma

2. A forma & ſpecie. *Species Rutæ diverſæ ſunt, forma & figura diſtincta. Alia namque ſylveſtris, alia domeſtica eſt. Illa, Hieronymo Trago atteſtante, in Germania incognita, hæc vero notiſſima eſt. Quæ ipſa tamen foliorum figura & fructuum forma, eodem teſte, diſſimilis eſt, & non niſi ab ingenioſis naturæ venatoribus diſcerni poteſt. Communiſſima autem Ruta caulem habet rectum, ſubligneum, in ramuſculos erectos diviſum plurimos. Folia habet parva, acuminata tamen & oblonga; coloris praſini ſive herbidi: flores profert coloris ravi, ſtellulæ figuram repræſentantes, è quibus quadrati producuntur folliculi, nigricante legumine, rutarum novellarum ſemine repleti.*

3. A ſubjecto loco. *Naſcitur copiosè in omnibus ubicunque ſeritur locis: Soli verò expoſita, uberiori fertilitate provenit. Invenitur tamen etiam quæ in muris è lapidum commiſſuris exſurgit: Vnde &* muralis *dicitur.*

4. Ab adjuncto tempore. *Excreſcit primo vere & flores ſuos menſe Iulio profert. Semper verò, cæteris herbis & floribus marceſcentibus; etiam in media Hyeme, vireſcit. Quo nomine dulciſsimam nobis exprimit imaginem Eccleſiæ, quæ in ſæviſſimis perſecutionum tempeſtatibus* hoc habet proprium, ut dum quis, *quæ B. Hilarii de Trinit. verba ſunt*, perſequitur, floreat: dum opprimitur, creſcat: dum contemnitur, proficiat: dum læditur,

 vincat;

vincat : dum arguitur, intelligat : tunc ſtet, quum maximè ſuperari videtur.

5. Ab adjunct. prop. temperamenti qualitate. *Complexionis ruta eſt calida & ſicca : & quidem calida eſt in ſecundo, ſicca verò in tertio gradu.*

6. Ab effectis ſive uſu. *Quanta ejus ſit nobilitas, admirabili ipſius virtute, quæ in medendo eſt efficaciſſima, perſpici poteſt clarius. Ruta* primum *univerſale lethalium medicamentorũ eſt antidotum præſentiſſimum, Dioſcoride teſte*, lib. 3. c. 43. *Inprimis verò folia ejus cum nuce juglande aridisque ficubus præſumptæ, inefficaces venenorum vires reddunt : cum ficubus & amygdalis dulcibus mane ſumpta, à peſte, morbis contagioſis & äëre venenato efficaciſſimè præſervant, Avicenna teſte* tract. 2. c. 578. *Qua ratione efficaciam meriti Chriſti Ruta nobis præfigurat. Peccatum venenum eſt lethiferum, quod certo certius mors & æterna damnatio inſequitur. At Ruta ſalvifica meritum Chriſti eſt, quod cum dulcibus amygdalis & ficubus veræ fidei cordi applicatum, non ſolum peccati venenum mortiferum inefficax reddit, ſed & contra ejuſdem peſtiferam luem certiſsime præſervat. Rutæ* ſecundò *folia cum ſemine in vino cocta, miris modis cor corroborant, pleuritidem curant, pulmonem & cholicam paſsionem ſanant. Quo ipſo efficaciam adumbratam videmus ſeminis immortalis & incorruptibilis verbi Dei, quod coctum in nobis*

atque

atque recoctum, mirificè cor noſtrum corroborat, paſſiones ejus acutiſſimas ſanat, & ut reſpirare in anguſtiis quibusvis poſſimus praſtat. Ἀντιπάθεια. 3. naturalis eſt inter Rutam & bufones, viperas atque ſerpentes. Bufones ſiquidem ſalviæ receptaculis mirificè gaudent, cujus rei gratia ad pellendos è loco bufones ad ſalvias communiter plantari rutæ ſolent. Odorem etiam rutarum infeſtum ſerpentibus eſſe ex eo, colligit Ariſtoteles lib. 9. de hiſt. animal. *quod muſtela cum ſerpente dimicatura in certum ejuſdem interitum rutam comedat. Sed & hæc affectio imaginem exprimit Vatinianæ iſtius ἀπαθείας, quæ inter Chriſtum & Serpentem antiquum, Draconem infernalem, intercedit. Quæ enim convenientia Chriſti & Belial? qui conculcavit caput Serpentis, & Draconem dejecit in abyſſum. Alias Rutæ virtutes lubens nunc prætereo. Eas verò his Schola Salernitana verſiculis pro more exprimit:*

a Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta.
Nobilis eſt Ruta, quia lumina reddit acuta.
Ruta comeſta recens oculos càligine purgat.
Ruta facit caſtum, dat lumen & ingerit aſtum.
Cocta facit Ruta de pulicibus loca tuta, &c.

Commendationem Amaranti purpurei ſive Flozamoz/oder Tauſentſchon/Item vitis, ficus, cujus mentio etiam fit, *Matth.* 12. Sycomori,

a Cap. 20. Cap. 51.

mori, *Luc.* 19. Synapi, *Matth.* 13. Myrrhæ, *Matth.* 2. *Pſalm.* 44. Amygdali habet *Dreſſerus Rhetor. fol.* 448. *ad* 464. Balſami laudationem habet *Schollius exerc. Rhetor. Schol.* 20. Braſſicam laudat *Cato*: Malvam & Albucum *Heſiodus*. In Gemmarum & lapidum commendationibus hi ipſi, qui in plantis & herbis, adhibentur loci: De auro, lapide Amianto & Margaritis exemplum habet *Dreſſer. Rhet. fol.* 464. & *ſeq.*

IV. Regiones, loci, portus, inſulæ, &c. commendantur

1. A ſitu & locorum vicinia.

2. Ab incolis veteribus & recentioribus.

3. A Regibus & Ducibus.

4. A ſoli qualitate & aëris clementia: quo refertur fertilitas annonæ copia, fruges, aquæ, flumina, ſtagna, maria, animalia, feræ, &c.

5. Ab urbium frequentia & celebritate.

6. A politia & forma gubernationis, ſive Inſtitutis & Legibus.

7. A moribus incolarum.

8. A cultu Religionis, Eccleſiis & Scholis.

9. A rebus geſtis & virtute bellica.

Ratio

Ratio tractandi hæc argumenta petenda eſt ex Coſmographis, Corographis & Hiſtoricis, qui in deſcibendis regionibus ſunt occupati. In quibus noſtra ætate excellit Abrahamus Ortelius, qui tabulas Coſmographicas totius univerſi æri inciſas edidit. Præcipua autem vis amplificationis conſiſtit in comparatis: Si regionem quam laudandam ſuſcepiſti, cum aliis conferas & quantum ab illis nobilitate diſtet, oſtendas. Sit hîc Thema noſtrum.

COMMENDATIO HASSIÆ.

Propoſitio. *Ipſa pietas in communem noſtram Patriam me monet, ut pauciſsimis de laudibus Haſſiæ dicam.*

Confirm. arg. 1. à ſitu. *Eſt Haſſia una ex nobiliſſimis Germaniæ Principatibus, hodie Landgraviatus titulo inſignis, cujus ſitus ab Oriente Thuringiam & Buchoniam attingit, à Meridie Rheni tractum Meridionalem, Ringoviam & Cattimelibocum ſive ſylvam Ottenicam: ab Occaſu Diœceſin Colonienſem & Montenſem: à Septentrione, Weſtphaliam & Brunſuicenſium terram. Ambitu ſuo complectitur Comitatus plurimos. Hanovicum ſcil. Naſſovicum, Iſenburgicum, Solmeium, Waldeccenſium, Wittgenſteinenſem, Konigſteinenſem, Cattimelibocenſem, Decienſem, Zygenhaynenſen, Niddanum: Dominia itidem* Epſtein/ Itter & Pleſſe / &c.

2. Ab incolis. *Incolæ ejuſdem ab antiquis temporibus fuere Catti, populi & vetuſtiſsimi & bel-*

& bellicoſiſſimi, quos hodie Heſſos nominant: id quod è Cornel. Tacito de rebus geſtis Germanorum ad oculum demonſtrari poſſe controverſum non eſt, etiamſi quidam tum ſedem & nomen Cattorum ab Heſſis & Heſſorum limitibus diſcernere hodiè, præter veritatem Hiſtoricam, ſatagant.

3. A Regibus & Ducibus. *Sicut autem veteres Catti Principes habuerunt nobiliſsimos, Ariſtum ſcilicet Adgandeſtrium & Catumerum, quos l. II. annal. Cornel. Tacitus honorificè commendat. Ita & Haſſi noſtri Duces habuere nulli virtute & animoſitate ſecundos. Vt eorum namque memoriam, qui ante Chunradi Imp. tempora iiſdem laudabiliter præfuêre, ab inferis nunc non revocem, conſtat certè inde à Ludovici Barbati, primi Thuringiæ & Haſſiæ Principis, temporibus, ex ejuſdem proſapia tot Ludovicos, tot Othones, tot Henricos, tot Guilhelmos, rebus & domi & foris fortiter ac præclarè geſtis illuſtres, extitiſſe, inter quos, veluti lampas ſplendidiſsima, emicat Potentiſſimus ille Heros Philippus Magnanimus, noſtrorum Principum avus pientiſsimus, cujus & virtutes & geſta laudatiſsima ne Ilias capere poſſet. Taceo alios.*

4. A ſoli qualitate & aëris clementia. *Aërem Haſſia habet ſalubrem & commodum, non nimis craſſum aut nebuloſum, unde nec noxiis objecta, ſicut regiones aliæ, morbis & ſymptomatibus, Solum habet fertile frumenti*

omnis generis ferax, ſylvas, nemora, juga, colles, non tantùm habet amœniſſima, ſed & paſcendis pecoribus convenientiſſima feriſque inſtructiſſima. Prata & paſcua continet ſaluberrima, rivis, fontibus & amnibus undique irrigua: Flumina habet piſcibus fœcundiſſima plurima, è quibus præcipua Werra *&* Fulda, *quæ inferiorem Haſſiam irrigant, & infra Caſſellas* Viſurgim, *nobiliſſimum flumen conſtituunt* Lanus *item &* Edera, *quæ ſuperiorem Haſſiam fœcundant, & tandem ille in Rhenum prope Confluentiam, hic verò in Fuldam ſupra Caſellas ſeſe exonerat. Inde tantus terræ naſcentium in Haſſia proventus, ut vicinarum etiam gentium neceſſitati ſublevandæ ſufficientiſſimus eſſe poſſit.*

5. Ab urbium frequentia. *Vrbes Haſſia continet plurimas, quæ licet magnifica ædificiorum ſtructura Germaniæ civitatibus illuſtrioribus non poſſunt æquiparari, poſſunt tamen antiquitate & virtute cum iiſdem certare. Caſtella habet munitiſſima tria: in meditullio regionis* Ziegenhaynam: *in extremitate Occidentali,* Caſſilium: *in Meridionali,* Gieſſam. *Superioris Haſſiæ Metropolis eſt* Marpurgum, *Ptolomæo, uti volunt Miſia dictum, Academia nobile. Cui proxima* GISSA *& ipſâ Academiâ noviter erectâ, per univerſum orbem clariſſima.* Alsfeldia, Francoberga, Grunberga, Wettera, &c. *In Cattimelibocatu ſuperiori* Darmſtatum, *Principis Regia: in in-*

in inferiori S. Goarinus *ad Rhenum Inferioris Haſſiæ Metropolis eſt* Caſſilium, *Ptolomæo Stereuntium dictum, antiqua Principum ſedes, cui proxima* Hirsfeldia, *Abbatiâ & Scholâ illuſtris.* Schmalkaldia, *fœdere Principum proteſtantium ibidem inito, & Confeſsionis Articulis celebris*, Eſchwiga, Homberga, Dreiſa, Allendorphium, *ob Salinas ſaluberrimas orbi notiſſimum*, Rotenburgum, *palatio Regio decoratum, &c. Vt ſicco jam pede Arces, Cœnobia, Clauſtra, Monaſteria & Oppida, per totam regionem hinc inde diſperſa, alia brevitatis ergò tranſeam.*

6. A Politia. *De forma gubernationis regionis hujus quid referam? Eſt illa & æquiſsima & feliciſsima. Regitur à Principibus ſapientiſsimis, pietatis, juſtitiæ, æquitatis, pacis & tranquillitatis amantiſſimis: Qui, ne ſubditi præter jus & æquum à quopiam affligantur aut opprimantur præter Cancellarias, uti vocant, aulicas. Dicaſterium ſummum communibus ſumptibus alant, in quo quæſtiones controverſæ à Præſide Nobiliſs. Nobilibus itidem aliquot & Ictis præclariſsimis Aſſeſſorib. æquiſſimè dijudicantur, à quorum ſententia, non niſi ad Cameram Imp. in certis tamen duntaxat caſib. appellare cuipiam conceditur: Quin etiam in criminalibus judiciis tanta ſeveritate ſententiæ feruntur, & executioni citra ullum perſonarum reſpectum mandantur, ut vel eo etiam nomine optimè Haſſia noſtra apud extraneos audiat,*

audiat, terrorem ſuppliciorum ſceleratis incutiat, & ſic liberrimum viatoribus tranſitum præbeat. Cum in vicina Weſtphalia hoſtium ſint incurſiones creberrimæ, latrocinia frequentiſsima, direptiones & furta vulgatiſſima.

7. A moribus incolarum. *Hinc adeo ſit, ut, cùm qualis Rex, talis grex;* Regis *namque* ad exemplum totus componitur orbis, *ipſi etiam incolæ ſint juſtitiæ, & æquitatis ſtudioſiſſimi: inter ipſos floreat integritas, luceat honeſtas, vigeat erga peregrinos æquè ac incolas humanitas: ſint artium honeſtarum, ſtudiorum & laborum cultores: vitiorum verò quorumvis oſores.*

8. A cultu Religionis. *Quin etiam quod omnis commendationis caput eſt, pietatis ſint devotiſſimæ, Religionis ſinceræ & incorruptæ: Vt enim de devotione ipſorum ſub Papatu, quam erecta hinc inde ſacella, templa & clauſtra comprobant, nil dicam: Fuit certè Haſſia inter regiones Germaniæ cum primis, quæ Philippo Principe auſpice, rejectis Pontificiis abuſibus, ſinceram Euangelii doctrinam amplexata, cujus auſpiciis etiam Academia ſub primis Euangelii primordiis, An. 1527. Marpurgi erecta, ut depoſitum hoc ſacroſanctum pretioſè aſſervaret, & ad poſteros incorruptè propagaret. A cujus integritate, cum ſuperioribus annis Doctores quidam deficerent, erroreſque antiquæ ſinceritati contrarios defenderent, miranda Dei Opt. Max. providentia, Imperatoris*

v. Au-

v. Auguſti clementia factum, ut auſpiciis pientiſs. Principis Ludovici, *nutritii noſtri clementiſſimi nova Academia Gieſſæ, tribus à Marpurgo milliaribus, Anno* 1605. *erigeretur, quæ in hodiernum uſque diem invariatæ Heſſorum fidei & veritatis ſincera aſſervatrix & propugnatrix eſt religioſiſſima, & alma pietatis & ſtudiorum mater, è cujus gremio patriæ non ſolum, ſed & exteris nationibus conſtantes fidei aſſertores & defenſores prodiére quamplurimi.*

9. A rebus geſtis. *Reſtat, ut de rebus Heſſorum geſtis dicam. Dicam autem preſſius, cum obviæ eæ ſint omnibus. Quanta cum fortitudine Romanorum vim Catti veteres olim repreſſerint, hiſtoriæ Romanæ tacere non poſſunt.* [a] *Qua virtute Heſſi noſtri præditi fuerint, & etiamnum ſint, teſtantur tot retroactis ſeculis res fortiter in debellandis hoſtibus ſuis geſta, tot victoriæ, tot trophæa, tot inſignia, quæ patrum noſtrorum memoria laudabiliter reportarunt. Sensêre (antiqua lubens prætereo) Epiſcopi Moguntinenſis, Herbipolenſis & Bambergenſis: Sensêre Monaſterienſes: Sensêre Brunſvicenſes: Sensêre denique cum magno ſuo malo innumeri alii, &c.*

Concluſio *conſtet repetitione argumentorum præcipuorum, adjuncto voto pro patriæ hujus noſtræ incolumitate.*

Confer cum his commendationem Haſſiæ, quam

a Anno 1528. 1534. 1536. 1542. 1545.

quam habet *Scholl. ex Rhet. Schol.* 17. Aphricæ regionis deſcriptionem habet *Saluſt. in bello Jugurth.* Germaniæ, *Cornel. Tacit. de moribus Germanorum.* Siciliæ, *Iuſtin. lib.* 4. Macedoniæ, *idem l.*7. Italiæ, *Virg. l.*2. *Georg.* Infernum ſcribit *Virgil. l.*6. *Æneidos*, de quibus vid. *Dreſſer. fol.* 422. Item Bajas *Æneid.* 1. Portum Lunæ ſive Carthaginenſium, *Æneid.* 1.

FLUMINA & FONTES LAUDANTUR.

1. Ab ortu.
2. Ab amplitudine.
3. A colore & curſu.
4. A locis, quæ interlabuntur, nobilioribus.
5. A piſcium copia.
6. A ſalubritate & effectibus naturalibus.

Ad loca adjacentia referenda etiam Inſulæ, *ſi quas continent, item* nemora, civitates & paſcua, *quæ irrigant. Ad effectus naturales referuntur etiam* metella *&* lapides, *ſi quæ proferunt. ſit exemplum*

COMMENDATIO LANI SUPERIORIS HASSIÆ FLUVII.

Propo-

vincat : dum arguitur, intelligat : tunc ſtet, quum maximè ſuperari videtur.

5. Ab adjunct. prop. temperamenti qualitate. *Complexionis ruta eſt calidæ & ſiccæ : & quidem calida eſt in ſecundo, ſicca verò in tertio gradu.*

6. Ab effectis ſive uſu. *Quanta ejus ſit nobilitas, admirabili ipſius virtute, quæ in medendo eſt efficaciſſima, perſpici poteſt clarius. Ruta* primum *univerſale lethalium medicamentorũ eſt antidotum præſentiſſimum, Dioſcoride teſte*, lib. 3. c. 43. *Inprimis verò folia ejus cum nuce juglande aridisque ficubus præſumpta, inefficaces venenorum vires reddunt : cum ficubus & amygdalis dulcibus mane ſumpta, à peſte, morbis contagioſis & aëre venenato efficaciſſimè præſervant, Avicenna teſte* tract. 2. c. 578. *Qua ratione efficaciam meriti Chriſti Ruta nobis præfigurat. Peccatum venenum eſt lethiferum, quod certo certius mors & æterna damnatio inſequitur. At Ruta ſalvifica meritum Chriſti eſt, quod cum dulcibus amygdalis & ficubus veræ fidei cordi applicatum, non ſolum peccati venenum mortiferum inefficax reddit, ſed & contra ejuſdem peſtiferam luem certiſſime præſervat. Rutæ* ſecundò *folia cum ſemine in vino cocta, miris modis cor corroborant, pleuritidem curant, pulmonem & cholicam paſſionem ſanant. Quo ipſo efficaciam adumbratam videmus ſeminis immortalis & incorruptibilis verbi Dei, quod coctum in nobis*

atque

atque recoctum, mirificè cor noſtrum corroborat, paſſiones ejus acutiſſimas ſanat, & ut reſpirare in anguſtiis quibusvis poſſimus præſtat. Ἀντιπάθεια. 3. naturalis eſt inter Rutam & bufones, viperas atque ſerpentes. Bufones ſiquidem ſalviæ receptaculis mirificè gaudent, cujus rei gratia ad pellendos è loco bufones ad ſalvias communiter plantari rutæ ſolent. Odorem etiam rutarum infeſtum ſerpentibus eſſe ex eo, colligit Ariſtoteles lib. 9. de hiſt. animal. *quod muſtela cum ſerpente dimicatura in certum ejuſdem interitum rutam comedat. Sed & hæc affectio imaginem exprimit Vatinianæ iſtius ἀντιπαθείας, quæ inter Chriſtum & Serpentem antiquum, Draconem infernalem, intercedit. Quæ enim convenientia Chriſti & Belial? qui conculcavit caput Serpentis, & Draconem dejecit in abyſſum. Alias Rutæ virtutes lubens nunc prætereo. Eas verò his Schola Salernitana verſiculis pro more exprimit:*

a Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta.
Nobilis eſt Ruta, quia lumina reddit acuta.
Ruta comeſta recens oculos caligine purgat.
Ruta facit caſtum, dat lumen & ingerit aſtum.
Cocta facit Ruta de pulicibus loca tuta, &c.

Commendationem Amaranti purpurei ſive Flozamoz/oder Tauſentſchön/Item vitis, ficus, cujus mentio etiam fit, *Matth.* 12. Sycomori,

a Cap. 20. Cap. 51.

mori, *Luc.* 19. Synapi, *Matth.* 13. Myrrhæ, *Matth.* 2. *Pſalm.* 44. Amygdali habet *Dreſſerus Rhetor. fol.* 448. *ad* 464. Balſami laudationem habet *Schollius exerc. Rhetor. Schol.* 20. Braſſicam laudat *Cato:* Malvam & Albucum *Heſiodus.* In Gemmarum & lapidum commendationibus hi ipſi, qui in plantis & herbis, adhibentur loci: De auro, lapide Amianto & Margaritis exemplum habet *Dreſſer. Rhet. fol.* 464. *& ſeq.*

IV. Regiones, loci, portus, inſulæ, &c. commendantur

1. A ſitu & locorum vicinia.

2. Ab incolis veteribus & recentioribus.

3. A Regibus & Ducibus.

4. A ſoli qualitate & aëris clementia: quo refertur fertilitas annonæ copia, fruges, aquæ, flumina, ſtagna, maria, animalia, feræ, &c.

5. Ab urbium frequentia & celebritate.

6. A politia & forma gubernationis, ſive Inſtitutis & Legibus.

7. A moribus incolarum.

8. A cultu Religionis, Eccleſiis & Scholis.

9. A rebus geſtis & virtute bellica.

Ratio

Ratio tractandi hæc argumenta petenda eſt ex Coſmographis, Corographis & Hiſtoricis, qui in deſcibendis regionibus ſunt occupati. In quibus noſtra ætate excellit Abrahamus Ortelius, qui tabulas Coſmographicas totius univerſi ari inciſas edidit. Præcipua autem vis amplificationis conſiſtit in comparatis: Si regionem quam laudandam ſuſcepiſti, cum aliis conferas & quantum ab illis nobilitate diſtet, oſtendas. Sit hîc Thema noſtrum.

COMMENDATIO HASSIÆ.

Propoſitio. *Ipſa pietas in communem noſtram Patriam me monet, ut pauciſsimis de laudibus Haſſiæ dicam.*

Confirm. arg. 1. à ſitu. *Eſt Haſſia una ex nobiliſſimis Germaniæ Principatibus, hodie Landgraviatus titulo inſignis, cujus ſitus ab Oriente Thuringiam & Buchoniam attingit, à Meridie Rheni tractum Meridionalem, Ringoviam & Cattimelibocum ſive ſylvam Ottenicam: ab Occaſu Diœceſin Colonienſem & Montenſem: à Septentrione, Weſtphaliam & Brunſuicenſium terram. Ambitu ſuo complectitur Comitatus plurimos. Hanovicum ſcil. Naſſovicum, Iſenburgicum, Solmeium, Waldeccenſium, Wittgenſteinenſem, Konigſteinenſem, Cattimelibocenſem, Decienſem, Zygenhaynenſen, Niddanum: Dominia itidem* Epſtein/ Itter & Pleſſe / &c.

2. Ab incolis. *Incolæ ejuſdem ab antiquis temporibus fuere Catti, populi & vetuſtiſsimi & bel-*

& bellicoſiſſimi, quos hodie Heſſos nominant: id quod è Cornel. Tacito de rebus geſtis Germanorum ad oculum demonſtrari poſſe controverſum non eſt, etiamſi quidam tum ſedem & nomen Cattorum ab Heſſis & Heſſorum limitibus diſcernere hodiè, præter veritatem Hiſtoricam, ſatagant.

3. A Regibus & Ducibus. *Sicut autem veteres Catti Principes habuerunt nobiliſsimos, Ariſtum ſcilicet Adgandeſtrium & Catumerum, quos l.II. annal. Cornel. Tacitus honorificè commendat. Ita & Haſſi noſtri Duces habuere nulli virtute & animoſitate ſecundos. Vt eorum namque memoriam, qui ante Chunradi Imp. tempora iiſdem laudabiliter præfuêre, ab inferis nunc non revocem, conſtat certè inde à Ludovici Barbati, primi Thuringiæ & Haſſiæ Principis, temporibus, ex ejuſdem proſapia tot Ludovicos, tot Othones, tot Henricos, tot Guilhelmos, rebus & domi & foris fortiter ac præclarè geſtis illuſtres, extitiſſe, inter quos, veluti lampas ſplendidiſsima, emicat Potentiſſimus ille Heros Philippus Magnanimus, noſtrorum Principum avus pientiſsimus, cujus & virtutes & geſta laudatiſsima ne Ilias capere poſſet. Taceo alios.*

4. A ſoli qualitate & aëris clementia. *Aërem Haſſia habet ſalubrem & commodum, non nimis craſſum aut nebuloſum, unde nec noxiis objecta, ſicut regiones aliæ, morbis & ſymptomatibus, Solum habet fertile frumenti*

omnis

omnis generis ferax, ſylvas, nemora, juga, colles, non tantùm habet amœniſſima, ſed & paſcendis pecoribus convenientiſſima feriſque inſtructiſſima. Prata & paſcua continet ſaluberrima, rivis, fontibus & amnibus undique irrigua: Flumina habet piſcibus fœcundiſſima plurima, è quibus præcipua Werra & Fulda, *quæ inferiorem Haſſiam irrigant, & infra Caſſellas* Viſurgim, *nobiliſſimum flumen conſtituunt* Lanus *item &* Edera, *quæ ſuperiorem Haſſiam fœcundant, & tandem ille in Rhenum prope Confluentiam, hic verò in Fuldam ſupra Caſellas ſeſe exonerat. Inde tantus terræ naſcentium in Haſſia proventus, ut vicinarum etiam gentium neceſſitati ſublevandæ ſufficientiſſimus eſſe poſſit.*

5. Ab urbium frequentia. *Vrbes Haſſia continet plurimas, quæ licet magnifica ædificiorum ſtructura Germaniæ civitatibus illuſtrioribus non poſſunt æquiparari, poſſunt tamen antiquitate & virtute cum iiſdem certare. Caſtella habet munitiſſima tria: in meditullio regionis* Ziegenhaynam: *in extremitate Occidentali*, Caſſilium: *in Meridionali*, Gieſſam. *Superioris Haſſiæ Metropolis eſt* Marpurgum, *Ptolomæo, uti volunt Miſia dictum, Academia nobile. Cui proxima* GISSA *& ipſâ Academiâ noviter erectâ, per univerſum orbem clariſſima.* Alsfeldia, Francoberga, Grunberga, Wettera, &c. *In Cattimelibocatu ſuperiori* Darmſtatum, *Principis Regia: in in-*

in inferiori S. Goarinus *ad Rhenum Inferioris Haſſiæ Metropolis eſt* Caſſilium, *Ptolomæo Stereuntium dictum, antiqua Principum ſedes, cui proxima* Hirsfeldia, *Abbatiâ & Scholâ illuſtris.* Schmalkaldia, *fœdere Principum proteſtantium ibidem inito, & Confeſsionis Articulis celebris,* Eſchwiga, Homberga, Dreiſa, Allendorphium, *ob Salinas ſaluberrimas orbi notiſſimum,* Rotenburgum, *palatio Regio decoratum, &c. Vt ſicco jam pede Arces, Cœnobia, Clauſtra, Monaſteria & Oppida, per totam regionem hinc inde diſperſa, alia brevitatis ergò tranſeam.*

6. A Politia. *De forma gubernationis regionis hujus quid referam? Eſt illa & æquiſsima & feliciſsima. Regitur à Principibus ſapientiſsimis, pietatis, juſtitiæ, æquitatis, pacis & tranquillitatis amantiſſimis: Qui, ne ſubditi præter jus & æquum à quopiam affligantur aut opprimantur præter Cancellarias, uti vocant, aulicas. Dicaſterium ſummum communibus ſumptibus alant, in quo quæſtiones controverſæ à Præſide Nobiliſs. Nobilibus itidem aliquot & Ictis præclariſsimis Aſſeſſorib. æquiſſimè dijudicantur, à quorum ſententia, non niſi ad Cameram Imp. in certis tamen duntaxat caſib. appellare cuipiam conceditur. Quin etiam in criminalibus judiciis tanta ſeveritate ſententiæ feruntur, & executioni citra ullum perſonarum reſpectum mandantur, ut vel eo etiam nomine optimè Haſſia noſtra apud extraneos*

audiat,

audiat, terrorem ſuppliciorum ſceleratis incutiat, & ſic liberrimum viatoribus tranſitum præbeat. Cum in vicina Weſtphalia hoſtium ſint incurſiones creberrimæ, latrocinia frequentiſſima, direptiones & furta vulgatiſſima.

7. A moribus incolarum. *Hinc adeo fit, ut, cùm qualis Rex, talis grex;* Regis *namque* ad exemplum totus componitur orbis, *ipſi etiam incolæ ſint juſtitiæ, & æquitatis ſtudioſiſſimi: inter ipſos floreat integritas, luceat honeſtas, vigeat erga peregrinos æquè ac incolas humanitas: ſint artium honeſtarum, ſtudiorum & laborum cultores: vitiorum verò quorumvis oſores.*

8. A cultu Religionis. *Quin etiam quod omnis commendationis caput eſt, pietatis ſint devotiſſimæ, Religionis ſinceræ & incorruptæ: Vt enim de devotione ipſorum ſub Papatu, quam erecta hinc inde ſacella, templa & clauſtra comprobant, nil dicam: Fuit certè Haſſia inter regiones Germaniæ cum primis, quæ Philippo Principe auſpice, rejectis Pontificiis abuſibus, ſinceram Euangelii doctrinam amplexata, cujus auſpiciis etiam Academia ſub primis Euangelii primordiis, An. 1527. Marpurgi erecta, ut depoſitum hoc ſacroſanctum pretioſè aſſervaret, & ad poſteros incorruptè propagaret. A cujus integritate, cum ſuperioribus annis Doctores quidam deficerent, erroreſque antiquæ ſinceritati contrarios defenderent, miranda Dei Opt. Max. providentia, Imperatoris*

v. Au-

v. Auguſti clementia factum, ut auſpiciis pientiſs. Principis Ludovici,*nutritii noſtri clementiſſimi nova Academia Gieſſæ, tribus à Marpurgo milliaribus, Anno* 1605*. erigeretur, quæ in hodiernum uſque diem invariatæ Heſſorum fidei & veritatis ſincera aſſervatrix & propugnatrix eſt religioſiſsima, & alma pietatis & ſtudiorum mater, è cujus gremio patriæ non ſolum, ſed & exteris nationibus conſtantes fidei aſſertores & defenſores prodiêre quamplurimi.*

9. A rebus geſtis. *Reſtat, ut de rebus Heſſorum geſtis dicam. Dicam autem preſſius, cum obviæ eæ ſint omnibus. Quanta cum fortitudine Romanorum vim Catti veteres olim repreſſerint, hiſtoriæ Romanæ tacere non poſſunt.* [a] *Qua virtute Heſsi noſtri præditi fuerint, & etiamnum ſint, teſtantur tot retroactis ſeculis res fortiter in debellandis hoſtibus ſuis geſta, tot victoriæ, tot trophæa, tot inſignia, quæ patrum noſtrorum memoria laudabiliter reportarunt. Sensêre (antiqua lubens prætereo) Epiſcopi Moguntinenſis, Herbipolenſis & Bambergenſis: Sensêre Monaſterienſes: Sensêre Brunſvicenſes: Sensêre denique cum magno ſuo malo innumeri alii, &c.*

Concluſio *conſtet repetitione argumentorum præcipuorum, adjuncto voto pro patriæ hujus noſtræ incolumitate.*

Confer cum his commendationem Haſſiæ, quam

[a] Anno 1528. 1534. 1536. 1542. 1545.

quam habet *Scholl. ex Rhet. Schol.* 17. Aphricæ regionis deſcriptionem habet *Saluſt. in bello Jugurth.* Germaniæ, *Cornel. Tacit. de moribus Germanorum.* Siciliæ, *Iuſtin. lib.* 4. Macedoniæ, *idem l.*7. Italiæ, *Virg. l.*2. *Georg.* Infernum ſcribit *Virgil. l.*6. *Æneidos*, de quibus vid. *Dreſſer. fol.* 422. Item Bajas *Æneid.* 1. Portum Lunæ ſive Carthaginenſium, *Æneid.* 1.

FLUMINA & FONTES LAUDANTUR.

1. Ab ortu.
2. Ab amplitudine.
3. A colore & curſu.
4. A locis, quæ interlabuntur, nobilioribus.
5. A piſcium copia.
6. A ſalubritate & effectibus naturalibus.

Ad loca adjacentia referendæ etiam Inſulæ, *ſi quas continent, item* nemora, civitates & paſcua, *quæ irrigant. Ad effectus naturales referuntur etiam* metella *&* lapides, *ſi quæ proferunt. ſit exemplum*

COMMENDATIO LANI SUPERIORIS HASSIÆ FLUVII.

Propo-

Propoſitio. *Mirificas nobis indies præbet utilitates nobil. ille* LANUS, *qui mœnia noſtra præterlabitur, eundem igitur paucis commendandum putavi.*

Confirm. arg. 1. ab origine. *Oritur Lanus in Haſſiæ ſuperioris parte Occidentali, in confinio Comitatus Naſſovici & Witgenſteinenſis è rupe ſaxea altiori montis ſylveſtris vaſtiſſimi,* das Rohthaar *dicti: è cujus montis radicibus, juxta quatuor mundi plagas, quatuor etiam, qui mirabiliter ſingularis & ſingulariter mirabilis naturæ luſus eſt, ſcaturiunt fluvii Haſſiæ non ignobiles. Præter ſiquidem Lanum, qui ad Orientem ebullit, lapide uno vel altero ab ejuſdem fonte,* auffm newen Ohr / *Meridiem verſus* Dilla oritur, *quæ Comitatum Naſſovicum, Dillenbergam, Nobiliſſimam Naſſovicorum Comitum ſedem & Herbornam irrigat. Iterum ad Occaſum ejusdem montis* auff der Heuwſpitzen / *ſcaturit* Sigena, *quæ anfractibus ſuis Sigenum, illuſtre Weſtriacæ Sylvæ oppidum à fluvio præterlabente ſic dictum, petit, & inde per Colonienſem agrum ad Rhenum accelerat. Denique uno atque altero bombardæ ictu à Sigena ſcaturigine in Septentrionali montis latere* an der Benſſe / Edera *proſilit, fluvius & limpidæ aquæ puritate, & piſcium, auratorum præcipuè, quos trutas ſive forelles vulgò vocitant, Salmonum item copia, & aureis, quibus ſcatet, arenis, per univerſam Haſsiam celebratiſsimus qui irrigat â*

Franco-

Francobergâ Comitatum Waldecenſem ingreditur, & non procul à Caſsilio Fuldæ immiſcetur.

2. Ab amplitudine. *Sed ut ad Lanum noſtrum revertar, eſt quidem à prima ſcaturigine rivus exiguus, verùm in prima, quam decurrit, valle ex utroque tàm dextro quàm ſiniſtro latere in alveum ſuum rivulos triginta circiter alios recipit, & inde in juſtum fluvium excreſcit.*

3. A colore & curſu. *Coloris eſt limpidi, ſed tamen & vitrei, fluitque curſu leni, quandoque etiam, ob ſaxorum interjectum, fragroſo, ſed tamen grato ſuſurro.*

4. A locis adjacentibus. *Vrbes præterlabitur plurimas, irrigua primum valle decurrendo præterlabitur Arcem, quæ à Witikindo Saxone nomen habet.* Wittgenſtein/ *& antiqua illuſtrium ejus nominis Comitum ſedes eſt: inde* Bidencapium *Haſsiæ oppidum; hinc inter juga Orientem verſùs obambulans, mox ſubito anfractu ad montem Lani, ubi Ohmam amnem in ſe recipit, per amœnam vallem Meridiem cis* Marpurgum *petit, cujus lateri Orientali ſeſe accommodat. Poſteà amœniſſimo & fertiliſsimo tractu plurimos pagos & vicos irrigans, nobile Heſſorum propugnaculum,* Gieſſam *hanc noſtram, è parte Occidentali præterfluens, Imperialis* Wetzflariæ *mœnia lambit, & exceptis ad eadem Dillæ fluvii aquis Comitatum Naſſovienſem ingreditur,*

atque irrigatis inter jugera montium agris, oppidis & vicis, Weilburgo, Limburgo, Naſſovia, Embſena (*quæ ob ſaluberrimas thermas ad Lani ripas ſcaturientes in Germania eſt notiſſima, tandem ſupra Confluentiam ad oppidum* Lohnſtein/ *in Rhenum ſeſe exonerat.*

5. A piſcium copia. *Producit Lanus & educat plurima delicatiſſimorum piſcium genera, præcipuè autem Lucios, multos Barbos ſive Barbones, Cyprinos, Percas, Rubiculas, Tenchas, Anguillas, fluviateles muſtelas, Thymallos, Scombros, Cancros, Gobios, Fundulos quandoque etiam, quanquam non in omnibus locis, auratas Trutas, Leuciſcos, item Alburnos, Columbos, aliosque vulgaris notæ piſciculos, ſaxatiles & arenarios plurimos delitiis eſculentorum convenientiſſimos.*

6. Ab effectibus. *Sunt verò aquæ fluvii hujus ſaluberrimæ, non potui tantummodo, ſed & ſcabiei, atque prurigini curandæ præcipuè accommodæ. Tanta ſiquidem ejus eſt potentia medica, ut cum multis etiam thermis contendere poſſit, cum pſoram, quâ communiter Studioſi divexantur, præſentiſſimè ſanet, ut nemo tanta ſcabie laborans huc veniat, qui non ſemel atque iterum Lano lotus, ocyſſimè, non aliter ac Naehman Syrus Iordano tinctus à lepra curetur. Cummunes alios effectus lubens prætereo.*

Subjiciatur concluſio.

Com-

Commendationem Nili & Ederæ fluvii Heſſiæ habet *Schollius exerc. Schol.* 19. Laudatio Moſellæ extat apud Auſonium. Deſcriptionem fontis habet *Ovid. lib.* 4. *Metamorph.* Dreſſerus commendat fontem in Bruleto propè Lipſiam, qui appellatur Tripidax, Dreijborn/ *fol.* 447. Fontem Acin propè Solitarium laudat *P. Lotichius in poëmat.*

MONTES COMMENDANTUR.

1. A ſitu & radicibus.

2. Ab iis, quæ in ipſis vel naſcuntur ut ab herbis & arboribus; vel effodiuntur, ut à metallis.

3. A feris, quæ in illis degunt.

4. Ab arcibus ſive turribus, quæ ipſis impoſitæ.

5. A fontibus inde ſcaturientibus.

6. Ab aliis memorabilibus rebus & prodigioſis.

COMMENDATIO MONTIS DYNI, qui vulgò appellatur der Dÿnſzberg.

Commendaturus montem Dyni adhibebit arg. 1. à ſitu. *Mons iſte ſitus eſt in confinio Haſſiæ & Comitatus Naſſovici Weilburgenſis,*

à Gieſſa milliari uno: inſiſtit collibus aliquot circumjacentibus, & vaſtiſsimæ eſt altitudinis ita ut ab ejuſdem coronide etiam ultra milliaria decem quis viſu, ſereno cælo, penetrare & ipſum Melibocum perſpicere poſſit. Circa radices ejus in montibus aliis poſitæ ſunt arces contigua ſerie vetuſtiſſimæ quatuor: Solmenſis, *quæ avita Solmenſium Comitum ſedes,* Regiomontana, Fetzburgenſis, Gleiburgenſis.

2. Arg. ab herbis, arboribus & metall. *Herbas varij generes profert, quæ ab herbariæ Medicinæ Studioſis verno & autumnali tempore colligi ſolent. Arbores producit præcipuè quernas, & quidem immenſæ quantitatis & altitudinis, ut meritò annoſæ quercus dici poſſint; quæ annuatim copioſam glandium ſegetem ſaginandis ſuibus, divina benedictione interveniente, ſuppeditant: quin & convenientiſſimam exſtruendis ædificiis lignorum materiam architectis impertiunt. Metalla produxit hactenus nulla, niſi quod ad Meridionalis lateris radices lapides effodiuntur, è quibus optima calx, exſtruendis muris apprimè præ aliis hujus loci conveniens: conficitur.*

3. Arg. à feris. *Feras fovet plurimas, inprimis verò magna cervorum, capreolorum, aprorum, vulpecularum, &c. in eodem degit copia, quæ auſpicatam Principibus prædam & ſuaviſſimam in venando recreationem excitant. Habent & lupi in eodem luſtra ſua, & quod mirandum*

mirandum hic locorum meritò eſt, in ſumma montis coronide aquilæ nidus vaſtæ amplitudinis, in quercus alicujus cacumine conſpicitur, in quo annuatim pullos ſuos excludere & educare aquilæ ſolent.

4. Argum. *Arx in monte hoc non habetur, conſpiciuntur tamen in ſummitatis ejus circuitu foſſæ aliquot profundiſſimæ ac latiſſimæ, quæ antiquis retro ſeculis illic extructi caſtri rudera ſunt certiſsima, è quibus veteris Catti Romanorum aliorumque hoſtium vim & incurſiones repreſsiſſe non obſcuris indiciis multi colligunt: quanquam & debellatis Cattis, præſidium hîc ſuum Romanos ad compeſcendum eorundem impetum collocaſſe, alii verius autumant.*

5. Argum. *Fontes & rivuli ad radices montis hujus ſcaturiunt plures, ſed tamen nullius notæ, niſi quod è Meridionali ejus latere profluit Bibera,* die Biber/ *quæ per vallem aliquot molas agitando decurrit, trutas ſive forellos, fundulos & cancros, gratiſsima delicatorum obſonia, procedit, & non procul à Gieſſa in Lanum amnem exit.*

V. URBES, ARCES, CASTELLA, &c. laudantur

1. Ab antiquitate ſeu conditoribus.
2. A ſitu, forma ſive partibus.
3. Ab ædificiorum ſtructura.

4. Ab aëris clementia, ſoli fertilitate & rerum abundantia.

5. A fluminibus quibus irrigantur.

6. Ab amœnitate.

7. A civium moribus, virtutibus & ſtudiis.

8. Ab opibus & mercatu.

9. A forma Politiæ & Senatu.

10. Ab Eccleſia & Scholis.

11. A rebus præclare geſtis.

Concurrunt hi loci cum iis, qui ſupra in commendatione Regionum propoſiti fuêre, ideoque actum agere videbimur, ubi novis eoſdem exemplis declarare voluerimus. Interim in juniorum gratiam unico exemplo illuſtrabimus: Sit illud.

COMMENDATIO GIESSÆ.

Optimo jure ingrati mihi hoſpitis nota inureretur, ſi almæ noſtræ matris Gieſſæ, quæ aliquot nos per annos in ſinu ſuo fovit ac gratum hoſpitium præbuit, juſtum encomium ſicco, quod ajunt, pede præterirem. In debitæ igitur pietatis & grati animi teſtimonium, de laudibus ejus abſque ullis verborum ſeſquipedalium ampullis dicam quàm ſtrictiſſimè.

Argum. 1. ab Antiquit. & conditor. *Sebaſtianus Munſterus in opere ſuo Coſmographico, quàm*

quàm ſæpiſsimè de veterum Germanorum in annotandis rebus geſtis incuria ac ſocordia conqueritur, hinc namque fit, ut præclariſsima non tantùm Germanorum geſta ignoremus, ſed & plerarumque urbium origines certæ & indubitatæ nos lateant. Idem de Gieſſa noſtra conqueri jure & nos poterimus cùm origo ejus planè ſit incognita: Eſſe tamen eam unam ex vetuſtiſsimis Haſsiæ oppidis, monumentorum veterum reliquiæ teſtantur. Colligere id eſt è Latino literarum diplomate ab Ottone Haſſiæ Landgravio Anno Domini 1325. XI. Kal. Sept. conceſſo, quo privilegia civitatis impertit habitantibus, *quæ verba ejuſdem ſunt,* ante ſeu extra oppidum Giezen, quibus fruuntur cives habitantes intra muros. *Oppidum ergò longe ante & quidem D. Eliſabethæ temporibus fuiſſe probabile eſt, id quod & murorum antiquitates arguunt.*

3. A ſitu, forma & partibus. *Sita verò urbs hæc eſt in veteri Cattorum ſede, eà ſcilicet ſuperioris Haſſiæ parte, quæ agrum Wedderaviæ attingit in loco paludoſo & plano, attamen valdè opportuno: à Francofurto ſcil. Meridiem cis milliaribus 6. ab Imperiali Wetzflaria Occaſum verſus, miliar. 1. à Marpurgo ad Septentrionem milliar. 3. à Grunberga ab Ortu mil. 2. Situs vel eo nomine reliquis Haſſiæ civitatibus præferendus, quod regia totius Haſſiæ via, quæ Francofurtum & Spiram ducit, mediam urbem penetrat: cujus beneficio, è quibuſ-*

vis Saxoniæ Ditionibus aliiſve circumjacentibus plurimis tàm Meridionalibus quàm Occidentalibus & Orientalibus, univerſæ Germaniæ regionibus, ſingulis ſeptimanis ſtudioſis & incolis aliis literæ per tabelliones juratos à Parentibus & Cognatis aliis tutò tranſmitti, neceſſaria verò alia, curruum beneficio abſque gravi ſumptuum diſpendio advehi poſſunt. Forma oppidi primitus quidem fuit circularis, & exiguo admodum ambitu deſcripta, id quod veterum murorum rudera, aqua, interluente concluſa, indicant: latiſsimis verò, progreſſu temporis ſuburbiorum pomæriis ante Chriſti an. 1325. *amplificata, ut juſtam nunc civitatis magnitudinem repræſentet. Portas ad quatuor cœli plagas directas, habet quatuor, quibus etiã in totidem partes, totidem plateis, diſcernitur. In meditullio verò non aliter ac cor ſive ventriculus in corpore humano, forum cum curia continetur. Orientem reſpicit porta novi ſtrati: Meridiem Francof. quæ vulgò porta Selicernii dicitur: Occaſum Heuchelheim. ſive Suburbii novi: Septentrionem Marpurg. communiter porta valli dicta. Ambitus ejus talis eſt, ut ſi exteriores foſſarum terminos legas, deambulando per horæ unius ſpatium demetiri eundem poſſis, ob loci commoditatem à Philippo Heſſor. Principe vallis & foſsis validiſsimis undiquaque munita eſt, An.* 1530. *idque non ſine gravi conſilio: voluit enim ſapientiſsimus Princeps, ut Gieſſa hæc communis Haſsiæ propug-*

propugnaculum eſſet fortiſſimum, quo, tanquam clave, aditus in eandem omni hoſti penitus intercluderetur. Dirutum eſt vallum ex parte, & foſſæ deſtructæ fatis ſic volentibus, è Cæſaris ira, Erneſti Solmenſ. Comitis manu, Principe Philippo in cuſtodia detento, An. 1547. *At à Ludovico Seniore Landgravio reparata valli propugnaculi & amplificata cum foſsis omnia, An.* 1571. *Id quod verbis Epigram. Petri Pagani P.L. lapidi portæ Francofurt. inciſum innuit:*

Captus erat Princeps, non Marte, ſed arte,
PHILIPPUS,
Cum bene munitum deſtrueretur opus.
Nominis hoc patrij LUDOVICUS amore
refecit,
Anno bis ſeptem luſtra ſequente novo.
Principe dignus honos: patriæ ſarcire ruinas,
A quibus Haſſiacos, *Chriſte* tuere polos.

3. Ab ædificiorum ſtructura. *Ædificia Gieſſæ noſtræ non redolent inſolentiam Hiſpan. nec magnificentiam ſpirant Ital. ſed ſunt humilia, lignea, luto & calce obducta, tegulis ſive lateribus coctis tecta: vetuſtate tamen ſtructuræ coruſca. Nec minus hoc dedecori ipſi cedit, quàm Wittemb. quæ ipſa, Univerſitatis ejus annalib. atteſtantibus, antequam Academiæ ſedes facta, domus habuit luteas & ſtramine tectas, quanquam nunc ædium magnificentia cum aliis certet: quod ipſum & de Gieſſa noſtra certò nobis pollicemur; ſi ea modò, quæ*

cœperunt, in extruendis partim novis, reparandis partim & exornandis veterib. ædificiis, ſedulitate incolæ perrexerint. Baſilicas olim habuit duas, alteram D. Selicernio ſacram extra oppidum in monte Selicernii, non procul ab officina lateritia ſitam, à Philippo Landgr. ne ob loci vicinitatem propugnaculo valli nocumento eſſet, deſtructam. Alteram D. Pancratio dicatam, in media urbe ſitam, & ipſam ſtructuræ humilem ac anguſtam, ſed tamen turri excelſa, æramentis ſive campanis ſonoriferis inſtructiſſimam, exornatam. Hoc ipſo interim tempore de illuſtri aliquo templo novo exſtruendo illuſt. Princeps deliberat. Orientem verſus conſpicua eſt arx vetus, quæ Capitanei ſedes eſt. Collegium deinde Ludovicianum, regia magnificen. præteritis annis exſtructum, cujus ſplendor, non aliter ac Iaſpis annulum aureum, univerſum oppidi circulum exornat, poſt aula nova Grammatophylacio Principis nunc dicata; & tandem ſumptuoſiſſima iſta Armamentarii novi ſtrues, à Ludovico Seniore Haſſ. Landg. erecta, neceſſariiſque munitionibus quibuſcunque ſic inſtructa, ut exteræ etiam regiones excellentiæ palmam ipſi meritò porrigant.

4. Ab aëris clementia, ſoli fertilitate & fluminibus. *Aëre Gieſſa fruitur ſalubri: non enim montibus eſt interclusa, ut peſtiferæ mephites & putres exhalationes viroſa craſſitie ipſam corrumpant, ſed aëre fruitur libero, ideoq́; puro: ita, ut peſtis vel alius morbus acutus rariſſime*

hîc,

hîc, ſicuti alibi fier conſuevit, graſſetur, aut ſi quandoque incidat, abſque gravi tamen infectione hinc inde leviter vagetur. Solum habet circumquaque fertile, quod Wetterav: redolet fœcunditatem, omniumque fructuum, frugum ac leguminum proventum. copioſiſſ. edit, Paſcuorum ſylveſtrium & pratorum irriguorum luxuria abundat, quorum fertilitatem fluminum præterlabentium rivi. Wiſſeci ſcil. & Lani mirificè promovent: ut hoc nomine, omnium ſaniorum judicio, aliis Háſſiæ oppidis merito ſuo ſit præferenda.

5. Ab amœnitate. *Fertilis hæc ſoli æquabilitas loci etiam amœnitatem reddit longe jucundiſsimam. Sive enim hortorum reſpicias frequentiam, eſt ea circumquaque fragantiſsima: ſive pratorum abundantiam eſt ea ſuaviſsima: ſive campi & agrorum copiam eſt ea potentiſsima, ſive receſſuum atque umbraculorum ſylveſtrium vireſcentiam, eſt ea exoptatiſsima, ut jure hic illud Poëtæ uſurpare poſſis:*

Nullus in orbe locus Gieſsâ prælucet amœna.

6. A Civibus. *Cives Gieſſæ noſtræ ut plurimum agrorum culturæ & opificiis manuariis, inprimis verò lanificiorum texturæ inde à multis retrò ſeculis ſunt dediti, quo nomine & Gieſſa & Gieſſenus pannus apud exteros celebris. At quia contractibus & mercimoniis quæſtuariis aliis non inhiant, ab iniquis & fraudu-*

lentis impoſturis ſunt alieniores, ſimplices, humiles, temperantes, & ut ſimul ac ſemel dicam, viri ſunt honeſti & boni. Quod ſi quandoquæ unus atque alter eorum in cenſu deprehendatur nequam & degener, mirum uſque adeò non eſt, cum ſemper mala ſint admixta bonis errore ſub illo.

7. A Politia. *Politicæ gubernationis forma incolæ temperata utuntur. Agnoſcunt enim ſummum Magiſtratum Principem cum Subdelegatis ſuis, & juxta hos ordinem Senatorium ac Conſules, qui controverſias Legibus æquiſſimis juſto dirimunt, bonos & innocentes defendunt, ſceleribus & flagitiis pollutos ſeverè puniunt.*

8. Ab Eccleſia & Schola. *Quid quod præcipuum civitatis ornamentum eſt, Eccleſia in hac urbe doctrinæ ac Religionis puritate floret & viget, eandemque ab omnibus corruptelis in hanc iiſque diem illibatam conſervat: idque beneficio fideliſſimorum Paſtorum ſuorum, virorum Clariſſimorum, quæ longis abhinc annis eam voce & re laudabiliter rexerunt: inter quos præcipuè excellunt* Henricus Orthius, *Theol. poſtea in Academ. Marpurg. Profeſſ.* Georgius *ille* Nigrinus, *Comitatus Niddani Superintendens, ſcriptis editis clariſſimis; & noſtra ætate* Jeremias Vietor, *SS. Theol. Doct. & ipſe Superintendens: in cujus demortui locum legitimè electus, ſucceſſit* Johannes Wynckelmannus, *SS. Theol. Doct. Profeſſor primarius*

primarius & Superintendens, qui adhuc dum doctrinæ puritate, morum verò & diſciplinæ gravitate ſtrenuè officio ſuo defungitur. Quin etiam, quod pretioſiſſimum eſt hujus civitatis κειμήλιον, dotibus reliquis longiſſimis paraſangis præferendum, exornata eſt interveniente depravatæ in Haßiæ Religionis purioris cataclyſmo, in An. 1605. *ſingulari Dei benignitate,* LVDOVICO *Pio Heſſorum Landgravio Celſiſ. nutritio noſtro clementiſſ. auſpice, Scola nova, quam privilegiis Academicis ſumma* RVDOLPHI II. *Imperatoris Auguſti clementia An.* 1607. *amplificavit: ut nunc Academia hæc veræ & ſinceræ Religionis, quæ exulare alioquin in Haſſia cœperat, omniumque Facultatum, ſcientiarum, artium humaniorum, virtutis & morum pietatis officina ſit inſtructiſsima & florentiſsima, è qua tanquam ex equo Trojano quotidiè prodeunt viri in omnibus ſcientiis excultiſsimi, patriæ non ſolùm, ſed aliis etiam exteris nationibus utiliſſimi ac ſaluberrimi.*

9. De rebus geſtis. *Dicerem ad calcem etiam de rebus ab incolis præclarè geſtis: at quia hæc laus cum reliquis Heſſis ipſis communis eſt, nil dicam. Fuiſſe tamen præclariſſimè de Principibus ſuis omni tempore meritos, immunitates & Principales & Imperatoriæ largiſſimè teſtantur. Certè Imperator Maximilianus I. nundinarum publicarum immunitates Butzbacenſibus ablatas, Gieſſenſibus clementiſsimè,*

ad integrum octiduum Dom.Voc. Iucund. continuandas conceſſit., *erecto ampliſſimo ea de re diplomate Cæſar. Sig. communito*, & *Archiepiſcopi Moguntini propria manu ſubſcripto. Anno Chriſti* 1497. *Iul. d.* 8. *Principalia Landgraviorum privilegia Ottonis*, *An.*1325. *Henrici* 1367. *Hermanni* 1400. *Wilhelmi* 1498. &c. *quia ſpecialiora*, *nunc omitto*, &c.

Concluſio conſtet voto & gratiarum actione. *Agnoſcant cives bonitatem hanc divinam longè maximam*; *Deoque ardentes pro eadem gratias agant, devotè petentes, ut is progugnaculi hujus protector*, *Eccleſiæ inſpector*, *Academiæ Rector* & *Senatus conſultor eſſe in æviternum dignetur.*

Confer cum his commendationem Marpurgi, quam habet *Hadamar. in Progymnaſ.* Laudationem Roſtochii, *Chytræ. fol.*140. Erphurdiæ, *Dreſſerus fol.*424. Norimbergæ, *Eoban. Heſſus farrag. Poëmat.* 2. Athenarum, *Scholl. Schol.*18. Babyl. *Herod.* l. 1. Wittembergæ, *Philip. tom. declamat.*7.

ÆDIFICIA, ARCES, TEMpla, Sacella, Collegia, aliæque domus commendantur.

1. Ab Autore.
2. A ſitu & proſpectu ſive figura.

3. A for-

3. A forma & amplitudine.
4. Ab uſu cui dicata.
5. A partibus.

Ab uſu *commendantur, ſi exponatur, cui rei ſint dicata vel peragendis ſcilicet ſacris, vel defendendæ civitati, vel inſtituendæ juventuti Scholaſticæ, vel habendo Senatui.* A partibus *commendantur, ſi ſingula ejus conclavia enumerentur: ubi ordine enumeranda ſingula prout ſe offerunt, incipiendo à veſtibulo & atrio, & progrediendo per omnia penetralia, officinas, conclavia, cubicula, aulea, triclinia, eorundemque ornamenta, uſque ad faſtigium & ſpeculas. Adjuncti etiam horti & fontes non prætereundi. Eſto thema.*

COMMENDATIO COLLEGII LUDOVICIANI GIESSENSIS.

Confirm. argum. 1. à cauſ. efficiente. *Autor Collegii hujus eſt Illuſtriſſimus Princeps LUDOVICUS Landgravius, Georgii Pii Filius, Philippi Magnanimi Nepos. Cujus pietas & in aſtruenda Religionis ſinceritate zelus verè divinus toti nunc terrarum orbi, illuſtri erectionis Academiæ novæ exemplo, innotuit. Extrui cœptum eſt Anno 1607. Fundamenta jacta menſ. Auguſt. die 25. & primum quidem lapidem fundamentalem*

in

in dextro latere collocavit nomine illuſtriſs. Principis, Johan. Struppius à Gelnhauſen/ *Dicaſterii Gieſſenſis Cancellarius : alterum verò in latere ſiniſtro nomine Academiæ*, Gothofredus Antonii, J. U. D. *Profeſſor Primarius, Academiæ Cancellarius & pro tempore Rector Magnificus. Abſolutum verò eſt, quoad murorum ſtructuram, Anno* 1608. *menſ. Septemb.*

2. A ſubjecto. *Situm eſt Ludovicianum hoc in loco urbis & amœniſsimo & ſaluberrimo, in Orientali ſcil. ejuſdem latere. Verſus Ortum habet Principis pomarium, Medicorum hortum, & propugnaculi vallum, Meridiem cis contingit aulam veterem, Capitanei Sedem, ad Occaſum plateam habet ſpatioſiſſimam, à Septentrione aream habet aulæ novæ ſive Grammatoph. & armament. latiſſimam : atque ſic jucundiſſimo undiquaque patet proſpectui*, loco *àb hominum cohabitatione remoto, ideoque ſtudiorum exercitiis & Academiæ, quam à populi remotione nomen traxiſſe volunt, convenientiſsimo.*

3. A forma. *Figura & amplitudo ejus eſt auguſtiſs. Principalem planè ſpirans magnificentiam : in longitudine pedes habet* 140. *in latitud.* 34. *Orientale latus annexam habet turrim quadratam cochleam in medio continentem, per cujus gradus ad ſuperiorum contignationum atria aſcenditur. Altitudo verò ejuſdem aliquot pedibus ſupereminet : in culmine*

mine ſpecula eſt, corona ſeu peribolo ſuper univerſam urbem conſpicua Methema. obſerva. deſtinata, è qua latiſſimus ſimul & jucundiſſimus Horizont. adſpectus patet; faſtigia tortuoſa, Italicâ forma conſtructa, grandiora habet ſex; faſtigiola inauratis decorata pinnis aliquot. Tectum lapidibus fiſſilibus inſtratum, canalibus inauratis ac coloratis æneis, Dracon. capp. repræſentantibus, illuſtre eſt: Parietes cæmentitii undique levigati ac nitidiſſima calce dealbati, feneſtris exornati ſunt vitreis orbibus pellucentibus plurimis, ordine juſto juxta atriorum ſeriem diſpoſitis, nec non opere pictorio vario circa latera artificiosè exornatis; Vnde prælustris admodum intuentium oculis ſeſe infert reſplendeſcentia atque majeſtas.

4. A fine. *Extructum verò illuſtre hoc ædificium eſt à fundatore Illuſtriſſ. non in aulæ vel curiæ Principalis ſedem, cui quidem eſſet convenientiſſimum: multò verò minus in vanam magnificentiæ vanæ oſtentationem, à qua Celſitudo ejus naturâ abalieniſſima; ſed in Muſarum aulæum ſacratiſſimum, ut in eodem omnes facultates & ſcientiæ, Theologia, Iuriſprud. Medicin. & Philoſoph. publicè docerentur, actus Academici ſolennes publici ac privati adminiſtrarentur, aliaque pietatis, ſtudiorum & morum exercitia, in informanda juventute Academica, quocunque modo peragerentur. Cui uſui publica etiam ſolennitate paneg. ſub initium An. 1611. piis precibus fuit dicatum, quæ*

ipſa majoris feſtivitatis gra.eo ipſo die & hora, publicâ Doctor. Iur. & ſeq. ſolenni Magiſtrorum promotione fuit condecorata.

5. A diſtribut. part. *Sicut verò auguſtum hoc Muſarum aulæum eſt ampliſſimum. Ita & Auditoria atque conclavia continet ampliſſima: Fores tabulis æneis quibus ratio fundationis Ludoviciani hujus aureis literis inciſa eſt, ex utroque latere, itemque ſuperiori parte Principis inſignibus ſunt conſpicuæ. Veſtibulum uſque adeò amplum non eſt; continet enim in longitud. pedes 19. Infimi atrii lapidibus quadratis obducti; dextrum latus continet Auditoriū Theologorum, quod in longit. habet pedes 68. in latit verò 33 Dextrum verò, Medicorum in longit. pedes habet 40 in latitud. ſimiliter 33. Rectiſſimè vero infimum atrium Theol. & Medic. dicatum eſt, ut non tantum animæ & corporis curatores hac ratione commodè conjungerentur, ſed & prima Collegii limina ſalutantes primo ſub ingreſſu humilitatis, pietatis & devotionis admonerentur, ſine cujus præſidio in nullo ſtudiorum genere quicquam proficere quisquam poterit. Medium atrium, quò ſicut & ad contignationes reliquas per cochleæ teſtudinariæ gradus aſcenditur, exhibet auguſtiſſimum Auditorium ICtorum cujus pavimentum, ut & ſuperioris atrii, aſſeribus abiegnis contabulatum, in longitudine habet pedes 112. in latitudine 34. Reliqua verò amplitudine conſpicua antecellit, quod publicis promotionum Actibus ſolemnio-*

lemnioribus dicatum, & Cathedra opere ſcriniario vermiculato atque ſtylobatis, ſcapis, epiſtyliis, ſcotiis, mutulis atque aſtragalis artificioſiſſimis, in quorum coronamentis & toreumatibus ſpecioſiſſimis inſignia Principis diverſicolorata ſunt fulgida, exornatum, nec non ſubſelliis altioribus circumquaque inſtructum eſt. Hujus dextrum latus oſtendit penetrale longitud. Ped. 29. latitu. 34. Bibliothecæ ſacrum, quæ liberaliſſima Principis munificentia non ita pridem comparata libris Theologicis, Iuridicis præcipue & Hiſtoricis, Medicis, Philoſophicis, Philologicis, Latinis, Italicis & Gallicis ordine circumquaq; in armamentariis ſuis diſpoſitis, inſtructiſſima. Supremi ſupremæ contignationis atrii latus ſiniſtrum complectitur Auditorium Philoſophicum, in longitud. habens ped. 86. latitud. 34. Philoſophis hoc tributum, eò, quod ipſorum ſit ſublimibus ſpeculationibus indulgere & non niſi alta ſapere, de quibus altiorum graduum adſcenſus ipſos commodè admonere poterit. Dextrum verò latus ex adverſo Conſiſtorium continet, in quo Profeſſorum conventus inſtituuntur, deque rebus Academicis conſilia & deliberationes habentur. Auguſtam hoc præ cæteris edit magnificentiam. Introitus ejus ſicut & auditorii Philoſophici ſumtuoſiſſimus, forium poſtibus eſt exornatus. Tota columnatio opere ſcriniario & toreumatico partibus ſuis, ſtylobatis ſcil. baſibus, ſcapis, capitulis, epiſtyliis, tophoris & coronis eſt diſtincta,

partes

partes ſingulæ ornamentis ſuis, annulis nimirum, toris, aſtragalis, ſcotiis, mutulis, denticulis, volutis, ſtriis, verticulis, affabre varigatæ. A dextra, baſi lapideâ ſuffulta eſt fornax artificioſiſſima, cujus præfurnium peculiari ductu, fumum in caminum lapideum forinſecus tranſmittit. A ſiniſtra poſitum ſcrinium ligneum, arcubis quatuor, Regiſtrorum, uti vocant, aliorumque ſecretorum Academicorum repoſituræ ſive cuſtodiæ, deſtinatis, diſpinctum artificio apiato & toreumatico ſimiliter coruſcum. Sedilia circumquaque diſpoſita, ad quæ iconcularum variarum periſtromata ſive tapetes in parietibus ita depicti ſunt, ut verorum deſideratorum loco eſſe poſſint. Menſa oblonga in pavimento poſita, tapetibus vireſcentibus obducta; quam ſingula ſingulorum Profeſſorum ſubſellia circumſtant. Feneſtris illuminatum eſt pellucentibus, in quibus Illuſtriſſimorum Principum D.D.D. Ludovici, Philippi & Friderici *Haſſiæ Landg. Muſarum Patronorum clementiſſ. refulgent inſignia. Intercolumnia repoſitoriis ex adverſo ſe reſpicientibus inſtructa duobus. Lacunaria verò tectorio teſſelato & ſectili, tortuoſo coronamentorum anfractu interſperſo, renident. Præter enumerata verò tria hæc Auditoriorum atria, ſuperior tecti contignatio tabulatum oſtendit, cujus pavimentum lateribus coctis ſtratum, latus utrumque conclavia continet plurima, Stipendiariorum habitationi dicata, ſic extructa, ut ſingulis*

ſingulis hypocauſtis, ſingula etiam cubicula ſint annexa, è quibus proſpectus ſuper univerſam urbem in latiſsimos campos & nemora patet jucundiſsimus, qui non tantùm amœnitatem excitat, ſed & ad Muſarum, quæ cacuminibus delectantur, culturam diligentes provocat. Altera tecti contignatio pavimentum habet cæmentitium granario deſtinatum. Supra quam eſt contignatio tabulata ſub totius contigua domus tecto, ad erviliam avenamque recipiendam accommoda. Atque hæc eſt Ludoviciani novi ſtructura, &c.

Regiæ Alcinoi commendatio extat apud *Homer. Odyſſ.7.* Domus Primai, *Iliad. 6.* Regiæ Solis apud *Ovid.2.Metamorph.* Deſcriptionem arcis Alexandriæ habet *Aphthon.* Arcis Tarentinæ, *Plutarch. in vita Annibal.* Templi Hammonis, *Diod, Sicul. in reb. geſt. Alex.* Habitationes S. Antonii, *Hieronym. in vita Hilarion.*

Horti iiſdem argumentis commendantur: præcipuè autem in illis excellunt argumenta ducta ab amœnitate & arborum atque herbarum varietate. Exemplum ex *Homer. odyſſ. 7.* de horto Alcinoi habet *Dreſſer. fol.* 447. Huc referri etiam poſſunt horti Adonidis, qui proverbio locum fecerunt: Item Heſperidum, quos amœniſſimos in Aphrica fuiſſe memorant. Item Senecæ prædivitis hortus, cujus meminit, *Iuven. Satyr.*10.

VI. Pompæ

VI. Pompæ Funebres, Triumphales & Luſoriæ commendantur

1. A cauſis, ſive inſtitutionibus.

2. A finibus, quorum gratia inſtituti.

3. A ſubjectis perſonis, quæ interfuerunt.

4. Ab adjuncto eorundem habitu & dignitate.

5. Ab effectis, actionibus ſcilicet & apparatu.

6. Ab interpretatione earundem actionum.

7. A ſpectaculis & prodigiis, ſi quæ exhibita fuere.

Huc pertinet deſcriptio pomparum triumphalium & equeſtrium Caſſellis in gratiam Anglicorum Legatorum in feſtivitate Baptiſmali Dn. Eliſabeth. Landgraviæ paractarum: Item pomparum Wittenbergicarum, in nuptialibus ſolennitatibus Ducis Ioh. Friderici habitarum, quæ typis excuſæ & figuris aneis omnium oculis objectæ ſunt.

Ab his ipſis locis commendantur etiam convivia, *niſi quod fercula & colloquia pleniore ſerm. deſcribuntur. Huc pertinet deſcriptio magnifici convivii Ahaſveri & Vaſthi, quæ extat in lib. Eſther. cap.1. à prin.* Itinera *ſive* pere-

peregrinationes *deſcribuntur commemorando loca ex ordine occurrentia, & ſi quid in iis memorabile, res geſtas toto profectionis, tempore, inopinatos eventus, tàm proſperos quàm adverſos, jucunditatem, utilitatem. Huc pertinent itineraria terræ Sanctæ, Salignaci, Breidenbachii, Thomæ Schweickeri, & aliorum: Item, Delitiæ Italicæ & Germanicæ typis evulgatæ.*

Coronidis loco nota. *In genere Demonſtrativo, quod ſæpius dictum, maximè excellunt comparationes & præcipuum ejuſdem inſtrumentum ſunt ac ornamentum. Laudatio verò & vituperatio per comparationem ſic inſtituenda, ut præcipua capita ſecundum locos generis demonſtrativi inter ſe conferantur.* Eſt *enim* comparatio, *Aphthonio definiente*, nihil aliud, quam Oratio, ex collatione aliquid diſquirens, quô id, quod comparatur; in majus extollat, aut æquale oſtendat. *Comparantur autem vel bona bonis, vel mala malis, vel parva minoribus. Vbi* attende: *non oportere comparantem ſingula cum ſingulis conferre, id enim laborioſum non minus quàm inefficax & ineptum eſt: Sed caput cum capite ſive præcipua cum præcipuis conferenda, hoc enim eſt vehemens, Sic comparaturus, dicis gratia, Demoſthenem cum Cicerone, ridiculus & ineptus foret, ſi caput Demoſthenis cum Ciceronis capite, humeros cum humeris, pedes cum pedibus, manus cum manibus, crines cum crinibus, &c. conferre velit:*

velit: ſed præcipua duntaxat conferat, nempe Genus Ciceronis cum genere Demoſthenis. 1. patriam cum patria. 2. indolem cum indole. 3. educationem cum educatione. 4. vitam cum vita. 5. animæ dotes cum dotibus. 6. res geſtas cum rebus geſtis. 7. mortem cum morte. 8. quæ mortem ſecuta cum morte inſecutis.

Exemplum laudationis per comparationem Achillis & Hectoris, habet *Aphthon. in Progymn.* Demoſthenis & Ciceronis, *Hadamar. in Aphthon.* Itemque *Scholl. Schol.* 21. Oratoris & Imperatoris, *Simon in Aphthon.* Tibulli & Ovidii, Caroli Magni, Cæſaris Octaviani, Georgii Præſulis Pabebergenſis, & Caroli Ducis Burgundiæ, divitiarum & paupertatis, *Ioachim. Camerar. element. Rhet. fol.* 229. ad 243. Philippi & Alexandri, *Iuſtin. lib.* 9. Alcibiadis & Coriolani; Periclis & Fabii; Annibalis & Scipionis, *Plutarch.* Vituperationis per comparationem, veteris & novæ Germaniæ *Scholl. alleg. loco.*

Nota. 2. Euthopœia, ſive μιμήσεις imitationes vel expreſſiones morum perſonæ ſubjectæ; Item fabulæ, Apophthegmata, χρεῖαι ſive ſententiæ: generalibus Generis Demonſtrativi locis commendantur & vituperantur. Specialiorum horum tractationem qui deſiderant, conſulant Progymnaſmata Aphthonii, qui ea notis atque exemplis illuſtrârunt, nempe *Reinhard. Lorichium Hadamarium,*

rium, Orat. in Academ. Marpurg. olim Profeſſ. *Ioh. Simonium*, Rhetor. Profeſſ. Roſtoch. præcipuè verò Progymnaſmata eloquentiæ *Antonii Burchardi*, Scholæ Stetinenſis Subrectoris, in quibus exercitiorum ſive deſpoſitionum exempla inveniet ſexaginta vel ultra. Itemq́ue Rhetoricam *Ioachim. Camerarii*, in qua quam plurima exercitia Rhetorica pro junioribus proponuntur. Quò Ludimagiſtros remitto, hîc verò gratæ brevitatis ergò ſubſiſto.

CAPUT XI.

1. GENUS DELIBERATIVUM

eſt quod verſatur in ſuadendo & diſſuadendo, adhortando & dehortando, petendo ſive precando & deprecando itemq́ue conſolando.

Gracè dicitur συμβουλευτικὸν, *ſuaſorium, quod ſuaſiones, item* ἐκκλησιαστικὸν καὶ δημηγορικόν, *quod cœtus, conciones, & deliberationes regat. Definitio ejuſdem ſumpta eſt à ſubjecto occupante ſive materia ſubjecta vel objecto. Sunt autem ſeptem potiſſimum hujus generis objecta, docente Ariſtotele in Rhetor. ad Alex. de quibus deliberationes ſuſcipi ſolent.* 1. περὶ τῶν ἱερῶν, *de Religione.* 2. περὶ τῶν νόμων, *de*

Legum conſtitutione & emendandis moribus. 3. περὶ πολιτικῆς κατασκευῆς, *de politica gubernatione.* 4. περὶ τῶν συμμαχιῶν, *de confœderationibus.* 5. περὶ τοῦ πολέμου. *de bello.* 6. περὶ τῆς εἰρήνης, *de pace.* 7. περὶ πόρου χρημάτων, *de apparatu pecuniæ ſive tributis,* von Schatzungen.

2. Claſſes materiarum Generis Deliberativi ſunt tres:

1. Complectitur ſuaſiones & diſſuaſiones, adhortationes & dehortationes.

2. Petitiones, precationes & deprecationes.

3. Conſolationes.

Ad has verò Claſſes propter materiæ cognationem etiam referuntur objurgationes, comminationes, excuſationes, admonitiones, omniaque omninò argumenta, quæ ancipitem habent cogitandi ac ſtatuendi rationem, ideoque in utramque partem dici ac agitari poſſunt: *Vt ſi quæratur, ſitne aliquid faciendum aut non faciendum, & cur ſit faciendum aut non faciendum. Idque hoc potiſſimum tempore, loco, modo, fine, e.g. quæ ſit ratio ſtudii Oratorii ineunda, aut ſitne illa, qua vulgò utuntur, rectè comparata. Pertinent etiam huc, quæ inter ſe comparantur & contenduntur, ut, utra forma*

Reipub.

Reipub. melior, Ariſtocratica an Democratica? uter Orator melior, Demoſthenes an Cicero? Linguà Latina excellentior an Græca? Siber. Inſtit. Rhetor. cap.24.

3. Loci, è quibus præcipua argumenta confirmationis ſumuntur, ſunt vel communes, vel proprii.

4. COMMUNES ſunt, qui generatim omnibus Generis hujus claſſibus applicari poſſunt: quorum

1. Ab honeſto aut turpi.

Τὸ καλὸν Honeſtum *eſt, quod per ſe, citra expectationem utilitatis ac præmii expeti debet: ſeu, quod dignitate ſua omnium animos afficit, movet, tenet. Sumitur autem honeſtum à cauſa efficiente procreante & finali; quæ hominum voluntates ad agendum movent. Nempe* 1. *à mandato divino & omnibus iis quæ ad Deum, & cultum divinum ſpectant.* 2. *à Legibus humanis, & omnibus quæ Rempubl. Leges & judicia concernunt.* 3. *à virtutibus & omnibus iis, quæ ad univerſas virtutes & laudem atque gloriam pertinent. Ita ergo omne quod Legibus divinis atque humanis & virtutibus, prudentiæ, juſtitiæ, fortudini & temperantiæ earumque officiis congruum eſt, honeſtum eſt, pulchrum eſt, laude dignum eſt. Sicut omne quod his vel ex toto, vel ex parte contrarium eſt, inhoneſtum eſt, turpe eſt, deteſtabile*

bile eſt. Dico autem locum primum, confirmationis eſſe ab honeſto aut turpi, *quia ſuaſiones, adhortationes, petitiones & conſolationes ſumuntur ab honeſto, & quidem ſolo: Diſſuaſiones autem & deliberationes ſumuntur non ab honeſto, illud enim diſſuadere nemo debet, ſed tantùm à turpi, quod omnes fugere & declinare debent.*

2. Ab utili aut inutili.

Τὸ χρησιμὸν utili *eſt, è cujus uſu fructum capimus, definitore Ariſtot. Rhetor.* 1. Ἄχρηστον *ſive* inutile *contra, è quo detrimentum capimus. In hoc igitur argumenti genere explicandum eſt omne id, quodcunque vel commoda præſentia amplificat, & abſentia comparat: Vel mala ſive incommoda præſentia ſublevat, & inſtantia ac futura inhibet atque retardat. Vt conſtare poſſit, quantum inde boni, ſi pareamus, & contra, quantum mali, ſi recuſemus, habituri ſimus.*

3. A facili aut difficili.

Τὸ ῥᾴδιον facile *eſt, quod vel ſine ullo, vel ſine magno labore, moleſtia ac ſumptu, quam breviſſimo tempore confici poteſt. Sicut contra* τὸ δυσχερὲς difficile, *quod non niſi magno labore & periculo perfici poteſt. In hoc igitur argumenti genere modus rei gerendæ & efficiendæ explicandus : idque.* 1. *per* poſſibile & impoſſibile: *ubi conſiderandum, an in virium*

noſtrarum

noſtrarum fano & luco poſitum ſit, id quod ſuademus vel diſſuademus, 2. *per* facile & difficile. *Vbi conſideranda animæ, corporis, & fortunæ dona, explicandum quid poſſit diligentia, quid noceat ſocordia.* 3. *per circumſtantias locorum, temporum, perſonarum: ubi perpendendum, an ſcil. locus ſit commodus, an tempus opportunum, an perſona, dignitati, ſexui, ætati, conveniens: oſtendendum etiam quid acceſſurum ſit ex ope, conſiliis, auxiliis, ſuperiorum, propinquorum, extraneorum. Et ſi quæ ſunt id genus alia. Vbi* NOTA I. *Arg. hæc confirmationis, variis exemplis tàm recentibus, quæ notiora ſunt, quàm veteribus, quæ graviora ſunt, erunt illuſtranda.* 2. *Oppoſitione contrariorum & comparatione ſunt amplificanda. Sæpè enim indoctos magis movet contumelia aut dedecus, quàm virtus & honeſtas: & honeſto, utili, facili, poteſt aliquid eſſe honeſtius, utilius, facilius. Atqui hi ſunt Loci Argum. confirmationis in hoc Genere Deliberativo communes. De exordiis, narratione, propoſitione & peroratione in Genere hoc ſpecialia etiam Rhetores præcepta tradunt. Quæ generalibus his theorematibus comprehendemus. Exordia in Genere Deliberativo ſint brevia.* 2. *Sumantur* 1. *à perſona vel noſtra, vel ejus, qui diſſentit, vel ejus, qui conſilium petit.* 2. *à negotii ipſius commendatione, amplificatione, diminutione, &c. Exemplis hæc illuſtrat Schollius* Schol. 22. ubi vide. 3. *Narratio hujus*

Generis aut nulla omninò eſt (cum ſit præteritarum aut præſentium, Suaſio autem futurarum) aut brevis ſit & nervoſa. 4. Propoſitio nunquam omittatur, 5. Eadem cum dignitate & amplificatione recitetur. 6. Peroratio potiſſimum ſit directa ad commovendos affectus. Vide Scholl. alleg. loc.

3. PROPRII ſunt, qui ſpeciatim ſingulis generis hujus claſſibus competunt.

Ita ergò ſpecialiores loci competunt ſuaſionibus & diſſuaſionibus, quæ non petitionibus: alii conſolationibus, &c.

I. CLASSIS SUASIONUM & adhortationum.

In ſuaſionibus & adhortationibus argumenta ſumuntur:

1. A cauſa efficiente impulſiva ſive honeſto.

Huc, quod ſuprà monuimus, referuntur mandatum ſeu Lex Dei vel naturæ: itemque leges humanæ, quod Ramus ad Teſtimonia refert, & omnium virtutum definitiones.

2. A fine ſive utilitate.

3. Ab effectu ſive præmiis & honore.

4. Ab exemplis.

5. Ab adjuncta facultate.

Hæc

Hæc exiſtit ex cauſis efficientibus & adjunct. hoc eſt, occaſione & circumſtantiis modò enumeratis aliis.

6. Ab adjunct. jucunditate & ſuavitate.

Hîc autem jucundum æſtimamus illud, quod honeſta ac liberali voluptate, aut animum, aut corpus, aut utrumque ſimul afficit. Sit exemplum

SUASIO AD STUDIUM THEOlogicum præ Juridico & Medico inchoandum.

Exordium à perſona ejus qui conſilium petit. *Rectè facis, quod in ancipiti ſtudiorum tuorum propoſito, aliorum conſilium expetis: ea enim adoleſcentiæ eſt ratio, ut cùm ob nativam judicii infirmitatem, tùm exuberantem etiam affectuum intemperiem, neque cernere verè, neque diſcernere commodè poſſint ea, quæ fœlicem ſtudiorum ſucceſſum promovent.*

Adverſativa. *Quanquam verò neque ego judicii acrimoniam mihi arrogem, in difficili inprimis illa abs te mihi propoſita quæſtione, quæ virum in omni facultatum ac ſcientiarum genere verſatiſſimum requirit: pro mutuo tamen affinitatis noſtræ jure, facere non potui, quin, quæ mea ſit ſententia, brevibus tibi communicum.*

Propoſitio: *Re igitur penitius mecum deliberatâ,*

beratâ, ſuadeo, ut ſepoſito ſtudio Iuridico & Medico, ad Theologicum præcipuè applices animum.

Confirmationis argum. 1. ab honeſto. *Hoc quod ſuadeo, movet inprimis neceſſitas mandati divini & debiti, cui obtemperare omnes tenemur.* [a] *Eſt enim hoc mandatum Dei, ut ſcrutemur Scripturas, & quidem à prima pueritia.* [b] *Vnde Regius Pſaltes beatum prædicat eum, qui in Lege Domini meditatur die ac nocte. Cui quidem mandato vel tu imprimis Lege naturæ obſtrictus videris, cùm dotibus ad ſtudium illud ſacroſanctum neceſſariis non ſolùm natura ſis inſtructus, ſed & naturali ad illud ipſum inclinatione propendeas.*

2. [c] A fine & utilitate. *Sectaberis autem illud eò alacriori animo, quo major inde redundabit in te utilitas. Erudire ſiquidem ſacræ te literæ poterunt, ut gentium illius Doctoris verbis utar, ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis enim Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.*

Amplificat. per comparat. imparium. *His verò omnibus quid utilius? Vtile equidem eſt, mentem variis ſcientiis politicis eleganter inſtruere, naturæ curſum ſolicitè venari, ea, quæ*

[a] Joh. 5. 2 Tim. 3.15. [b] Pſal. 1.2. [c] 2 Tim. 3. 15. 16. 17.

quæ corporis integritatem concernunt; ſtudioſè inveſtigare: At quid ea omnia ad ſummam iſtam, quæ è Theologico reſultat ſtudio, collata beatitudinem?

3. Ab effectu conſequenti & præmiis. *Quod ſi utilitas te non commovebit, moveat tamen præmiorum dignitas. Sive enim corporalia ſive ſpiritualia ſpectes, ſive præſentia ſive futura & æterna conſideres, præmia erunt honorifi-centiſſima. Quid honorificentius, quàm de ſuggeſtu in publica concionis corona verba ad populum facere, & multos ad juſtitiam informare? Informant Theologi. Quid honorificentius, quàm in publico virorum honoratorum congreſſu ac conſeſſu primas cum honore tenere? Obtinent eas Theologi. Quid honorificentius, quàm florere, ſicut arbor ad decurſum floret, & in omnibus actionibus proſperari? Florent ita Theologi.* [a] *Quid honorificentius, quàm fulgere olim, ſicut ſplendor firmamenti fulget in perpetuum? Fulgebunt ita Theologi.*

Occupatio. *Sed objicies fortaſſe hic mihi tritum illud:*

Dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores:
Pontificat Moſes cum ſacco per civitatem.

Sint Theologi quandoque in hoc mundo abjecti, ſint miſeri, ſint inhonorati, pontificent cum

a Pſal.1.3. Dan.12.3.

cum ſacco per civitatem, quid quæſo eorum hoc felicitati & honori derogabit? cum, Scripturâ teſte, coram Domino nihilominus ſint honoratiſſimi & in eodem ditiſſimi, & hoc majori in cœleſti olim gloria honore coronandi. Cùm plerumque ICtorum & Medicorum opes, honores & dignitates ſint injuſtæ, ſint vanæ ſint lubricæ, & fatalem ſuum terminum in more ipſorum infelici admodum omine nanciſcantur.

3. Ab exemplis. *Propones tibi ob oculos exempla multorum virorum pietate & eruditione illuſtrium, qui excellenti ſua doctrina inſigni facundia & morum gravitate, Eccleſiæ Dei publicè dicendo & profitendo plurimum profuère. Intuere majores tuos, horum in ſerie Theologos invenies plurimos, quorum veſtigiis laudatis laudabiliter & ipſe inſiſtes.*

4. A facultate. *Nec eſt, quod difficultatem hic ullam obtendas. Vales acumine & ingenio naturâ ad ſtudium hoc proclivi. Supellex librorum Theologicorum ex avita ac patrita tibi derelicta Bibliotheca inſtructiſſima. Sumptus à tuis tibi neceſſarii ſuppeditantur. Profeſſores in Academia veſtra Theologos habes celeberrimos. Ipſum etiam ſtudium, ſi piis modo manibus attrectaris & Spir. S. gratiam ante omnia ſedulo invocaveris, eſt omnium facilimum: cum tot in jure & ipſa etiam Medicina caſuum intricatorum ſeſe offerant perplexitates & difficultates aliæ, è quibus aut nunquam, aut difficulter admodum te extricare poteris.*

5. A ju-

5. A jucunditate. *Vt taceam jam jucunditatem eximiam, è ſacroſancto hoc ſtudio emergentem, quam ipſemet, ubi vigili modò id ipſum cura tractaveris, ſumma cum ſuavitate indies magis ac magis percipies.*

Concluſio. *Hæc igitur cum ita ſe habeant, hoc unum agas, ut fideli huic meo conſilio ea, qua decet ratione, morem geras.*

ADHORTATIO AD STUDIUM pietatis & bonorum operum.

Exord. ab adjuncto tempore. *Tempora hæc noſtra ferè deſperata ideoque & verè deploranda ſunt, in ipſis enim charitas friget, ſtudium bonorum operum riget: peccata verò quævis impunè graſſantur, ſcelera dominantur.*

Propoſitio. *Quocirca, ut vel tandem aliquando lux noſtra coram hominibus lucere incipiat, quò bona noſtra opera videant, & Patrem noſtrum cæleſtem glorificent, placuit hac vice ad ſtudia bonorum operum vos adhortari.*

Confirm. arg. 1. à cauſa efficiente impulſiva, mandato ſcil. divino. *Inprimis eò impellat nos neceſſitas mandati divini. Conditi namque ſumus in Chriſto Ieſu ad bona opera*, Epheſ. 2. *Debitores ſumus, non ut ſecundùm carnem vivamus*, Roman.8. *Itaque benè operari erga omnes tenemur*, Gal.6.

2. A fine. *Ideò autem vel inprimis bonorum operum ſtudiū fideliter nobis ſectandum,*

ut hoc ipſo fidem noſtram declaremus, obedientiam noſtram erga Deum ipſo opere demonſtremus, proximum noſtrum pro virili juvemus. Spiritum Sanctum peccatis noſtris non excutiamus, operationi ejuſdem non reſiſtamus, gloriam Dei non lædamus, & aditum hæreditatis vitæ æternæ nobis ipſis non præcludamus.

3. Ab effectu & præmiis. *Sed & præmia inſignia tàm ſpiritualia quàm corporalia ad illud ipſum nos exſtimulabunt. Habet enim pietas promiſſionem hujus & futuræ vitæ,* 1 Timoth. 4. (Hæc variè amplificari poſſunt. 1. Scripturæ dictis. 2 à contrario ſive incommodis, &c.)

4. Ab exemplis. *Inſtigabunt exempla omnium Sanctorum, qui operibus pietatis, verâ fide præſtitis ſummum Dei favorem & benedictionem ſibi conciliârunt, quorum catalogum longâ ſerie enumerat Epiſtola ad Heb.* 11. *per tot.*

5. A facili ſive cauſa adjuvante. *Etſi verò magna hîc occurrit carnis infirmitas, &, vel Apoſtoli exemplo, volentibus bonum facere ſemper adjacet malum, natura item noſtra ad malum plus juſto prona: Petentibus tamen donatur Spiritus S. qui occurrit infirmitati noſtræ, & in bono nos conſolidat. Hinc auxiliatorem imploremus, & dabitur petentibus,* Luc. 11.

6. A jucundo. *Inde in curſu bonorum operum non*

non tantum perſeveranter perſiſtemus, ſed ſuaviſſimam conſcientiæ tranquillitatem perſentiſcemus: Spiritu intus nobis teſtimonium perhibente, quod ſimus filii Dei. Quod ſi filii etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, Rom. 8.16. Confer Joh 15. per tot.

Concluſio conſtet repetitione præcipuorum argumentorum & invocatione Spiritus Sancti, &c.

Exempla ſuaſionum & adhortationum illuſtria apud Thucydidem occurrunt in Orationibus. 1. Corcyræorum, ſuadentium Atticis ſocietatem & auxilia belli adverſus Corinthios. 2. Periclis, ſuadentis Athenienſibus ut bellum potius ſuſcipiant, quàm morem gerant Lacedæmoniis, petentibus Græciam liberam relinqui. 3. Niciæ, ſuadentis, ut decretum de claſſe in Siciliam mittenda & bello Siculis inferendo abrogent. Item Alcibiadis, Orationem Niciæ refutantis, de quibus vide *D. Chytræ. Rhet. fol.* 85. *ad* 96. Exemplum epiſtolæ adhortantis, ut ſtatim ab initio ætatis doctrinæ ſtudiis nos dedamus. Adhortat. ad bellum Turcicum. Adhortat. ad ſcribendum. Granvelli Orat. adhortantis Ordines Imperii ad concordiam in Conventu Wormatienſi Anno 1540. Cyri morituri adhortantis filios ad ſtudium amicitiæ, cum aliis habet *Dreſſer. Rhetor. fol.* 217. *ad* 237. Orationem ſuaſoriam Electoris Moguntini de

eligendo in Imperatorem Carolo Auſtriaco deſcripſit *Georg. Fabric. de elect. & coronat. Carol. V.* & ex eodem Scholl. *exerc. Rhetor. Schol.* 23. Ubi etiam habet exhortat. ad imitationem Ciceronis.

Diſſuaſiones & dehortationes ſumuntur è locis contrariis, cùm enim contraria ſint contrariorum conſequentia, qui novit, quo pacto formandæ ſint Orationes ſuaſoriæ, eadem operâ noſcet, qua ratione inſtituendæ ſint diſſuaſoriæ & dehortatoriæ. Nempe 1. *ab inhoneſto.* 2. *ab inutili.* 3. *ab effectu conſequenti.* 4. *ab exemplis.* 5. *à difficili.* 6. *ab injucundo.* Sit exemplum.

DEHORTATIO A NEGLIGENda temporis occaſione.

Exordium ab expoſitione proſopopœiæ de occaſione. *Occaſionis ſimulacrum veteres ita fingebant, ut pennatis pedibus volubili rotæ inſiſteret, vertigine quadem velociſſima ſe in orbem circumagens, prioris capitis parte capilloſa, poſteriori glabra. Quo commento occaſionis brevitatem & inconſtantiam denotare voluêre, quæ niſi cum ſe offerat, arripiatur, eveſtigiò è manibus labitur, nihilque præter pœnitentiam, quæ individua ejus comes fingitur, nobis derelinquit.*

Propoſitio. *Hac imagine propoſita velim vos ſedulò cogitare de uſu temporis, ne fruſtra vobis elabatur.*

Con-

Confirm.1. arg. à turpi & inhoneſto. *Flagitium enim eſt oblatis occaſionibus non frui. Itaque ſicut alia dona Dei, ita & tempus negligere contumelia in Deum eſt.*

Amplificat à comparat. *Turpe eſt rem pretioſam negligenter perdere. Quid autem tempore, quod aliud nihil, quàm vitæ noſtræ conſervatio eſt, pretioſius eſſe poſſet? Illud igitur inutiliter conſumere nemo ſine turpitudine poteſt..*

2. Ab inutili & pernitioſo per collat. ſimil. *Sicut autem omnibus rebus prodeſt arripere occaſionem: Ita amittere eandem valdè obeſt.*

Amplificat. per congeriem incommodorum. 1. *enim jucunditas temporis irrevocabili celeritate eripitur.* 2. *optimis, quos tempus parit, fructibus privat, & ſic* 3. *conſequenter incommoda irrevocabili cum damno importat.*

3. Ab effect conſeq. *Quid, quod non rarò uſuvenit, ut homines recordatione prius acti & vanè diſperditi temporis, in deſperationem ſequentis vitæ incidant, & temporalem ac æternum interitum ſibi attrahant.*

4. Ab exemplis. *Docent illud ipſum viva quam plurimorum Academicorum exempla, qui ſtudiis neglectis, deambulando, otiando, compotando, amoribus, aliisque deliciis Venereis indulgendo, non aliter ac filius ille prodigus, cujus ſacra hiſtoria meminit, certiſſimum adverſus ſe interitum concitare ſolet.*

5. A diffi-

5. A difficili & injucundo. *Quin imò; quod omnium eſt deploratiſſimum, miſerè etiam diſperditi temporis jacturam pœnitudine acti repertiêre plurimi, invenêre verò nulli, aut certè pauciſſimi.*

Concluſio. *His igitur malis occurrendis, tempus, juxta ſeptem Sapientum ſententiam, diligenter noſcere & obſervare diſcite. Credite mihi*

Fronte capillata eſt, poſt hæc occaſio calva.

DISSUASIO MATRIMONII inter ſenem decrepitum & juvenculam.

Exord. à reipſa. *Petis à me, ut liberè meam tibi in propoſita quæſtione aperiam ſententiam.* Num conſultum ſit ſenem ducere juvenculam, nec ne? *Quæ quidem quæſtio, quamvis è ſenum ordine habuerit favitores quovis tempore plurimos, ab illorum tamen ſententia, quin recedam, facere non poſſum.*

Propoſitio. *Statuo igitur omninò matrimonium inter ſenem decrepitum & juvenculam diſſuadendum eſſe.*

Confirm. argum. 1. ab inhoneſto & injuſto. *Naturali ſiquidem non ſolum æquitati, ſed & divinis repugnat legibus; imò & univerſæ virtuti contrarium eſt. Suadet naturalis æquitas, ut par pari aſſocietur: quam ſimilitudinem tàm ipſa natura in animalibus brutis expreſſit,*

expreſſit, quàm & ipſe [a] *Deus ejusdem in primæva creatione vivum nobis exemplum in Adamo ob oculos ſtatuit, cui adjutorium creavit* Simile. *Evam ſcilicet, quam juvenculam adduxit Adamo virili ætate vegeto, non ob ſenium decrepito. Atqui juvenculam ſeni copulant, nónne ruptis juris naturalis & divini repagulis, juſtitiæ normam adulterant? Quo quid iniquius? Nónne decrepiti qui juvenculas ſibi aſſociant, animi ſui impotentiam intemperantiam & imprudentiam explodendam omnibus propinant? Quo quid inhoneſtius? quid turpius?*

2. A fine inutili & pernicioſo. *Conjugium à Deo inſtitutum eſt, ut ſint duo in carnem unam, Vnde fines ejusdem præcipuè tres emergunt: 1. illicitarum concupiſcentiarum reſtinctio. 2. liberorum Procreatio. 3. mutua ad adjutorium vitæ mutuum cohabitatio. Atqui quaſo per Deum immortalem, ſenex finibus his frui poterit? Qui uxori debitum matrimoniale juſtum perſolvet? Qui liberis procreandis, cùm emortuus ſit, vacabit? Qui mutuum vitæ adjutorium præſtabit? Quibus intermiſſis vel non debito modo præſtitis, quid aliud inde quàm continua diſſenſionum ſemina reſultare poſſunt? At* conjugum diſſenſio, *Auguſtino aſſerente*, totius domus cum ſit peturbatio: *hinc ob nativam juvenculæ laſciviam, ſenis verò emaſculati impotentiam, non niſi perpetuæ*

orientur

[a] Gen. 3. 18.

oriuntur rixæ, pugnæ, altercationes, contentiones, diſſenſiones, ſuſpiciones, jurgia, verbera, ſuſpiria. Non jam dicam, laſciviæ, adulteriis & inceſtuoſis hinc ſæpiſſimè commixtionibus anſam præberi. Non proferam matrimonium, quod *Auguſtinus diſputat*, non eſſe, ubi opera non datur, ut fœmina pariat: *Non diducam, id nec de ipſo jure nullum eſſe. Non attingam innumera hinc emergentia incommoda alia.*

3. Ab effectu conſeq. *Quid verò ad iſta tandem omnia? prædiſſequæ inſequentur nocifera, animi labes, cordis ſtygmata, nominis infamia, familiæ notæ, generis macula, vitæ ignominia, & tragica nonnunquam dedecora alia: honorifica, ſi Diis placet, matrimonii hujus, præmia.*

4. Ab exemplis. *Teſtantur id ipſum exempla tàm ſacra quàm profana, quæ cuivis hiſtoriarum codices volventi, & quotidianam vitæ hujus ſcenam ſtudioſiùs contemplanti obvia ſunt.*

Concluſio. *Optimè ergò Poëta:*

Quam malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus ſpecies læſura ferentes,
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Diſſuaſionis exemplum habes in ſup. allegat. deſcrip-

deſcriptione electionis Carol. V. ubi Trevirenſis Epiſcopus diſſuadet electionem Caroli, & urget electionem Galli. Diſſuaſionem matrimonii itemq́ue cœlibatus, nec non Hortenſii Pompejum bello Mithridatico non eſſe præficiendum ex Orat. pro L. Manilia, habet Schollius *exerc. Rhetor. Schol. 24.* cum quibus confer exempla è Chytræo, *loc. ſupr. alleg.*

II. CLASSIS PETITIONUM, Precationum & Deprecationum.

In petitionibus & precationibus argumenta ſumuntur:

1. A cauſa efficiente impulſiva προηγουμένῃ, id eſt, voluntate ejus quem petimus.

Ubi exprimemus affectus ejuſdem ad juvandum & promptam voluntatem, quam vel mandatis & promiſsionibus ſive verbis, vel reipſa & exemplis antecedentibus comprobârit.

2. A cauſa impulſiva προκαταρκτικῇ, ſive externo objecto, noſtrâ ſcilicet inopiâ, neceſſitate & calamitate.

Ubi enumerabimus, quantoperè nobis aliorum auxilio & ſublevatione ob ſummas, in quas detruſi ſumus, adverſitates opus ſit.

3. Ab

3. Ab honeſto.

Vbi oſtendemus honeſtum eſſe & juſtum id, quod petimus. Eſſe autem, patet ex Lege, mandato & voluntate Dei, item è doctrina ſapientum & virtutis, ſi huic ſit congruum. De quo ſupra.

4. A facili ſeu poſſibili.

Vbi demonſtrabimus eſſe in ejus facultate poſitum quod petimus, & ſine negotio effici poſſe, ſive hoc ſive alio quocunque modo, & ratione.

5. A fine utili.

Vbi referemus, in quos fines collata beneficia conferre velimus, & quæ inde tàm in petentem quàm conferentem ſint utilitates redundaturæ.

6. A conſequentibus, promiſſione ſcil. gratitudinis.

Vbi dicemus, nos non tantùm beneficia accepta celebraturos, ſed & gratiam relaturos, & alios, ut hanc beneficentiam, quam nos experti ſumus, prædicent, invitaturos eſſe. Exempli formam præbeat

PETITIO SUMPTUUM AD ſtudia neceſſariorum.

Propoſitio. *Cùm ſumptus ad ſtudiorum conti-*

continuationem neceſſarii mihi non ſuppetant, te ea, quâ decet animi reverentia, rogo, ut eosdem præbere non dedigneris.

Confirm. arg. 1. A cauſa προηγουμένῃ. *Hoc quod tàm audacter abs te peto, facit benevola tua in me affectio & pluſquam paterna στοργὴ, indubitatis antehac argumentis ſufficientiſſimè & mihi & aliis comprobata.*

2. Argum: à cauſa προκαταρκτικῇ. *Vrget verò durum illud telum neceſſitas, & ſumma, qua circumſeptus ſum, rerum inopia: è qua non niſi tuo adjutus auxilio eluctari poſſum.*

3. Ab honeſto. *Quo ut me ſubleves, honeſtum utique juſtum & æquum fuerit, cum non in trivio jam verſer, ſed in difficilimis ſtudiorum (quorum ſumma in tota vita & dignitas & honeſtas) anguſtiis pericliter.*

4. A facili, *Poteris autem tu unus & ſolus ex iisdem me eripere quàm facilimè, cum larga Deus benedictione affluentibus rerum omnium copiis abundè te cumulârit, ut ſine ullo rei familiaris diſpendio, qualeſcunque in me ſumptus maximo meo cum fœnore collocare poſſis.*

5. A fine & utili. *Quos quidem ego non vino, Venere, luxu, aliisque ſcurrilibus ineptiis inſumam, ſed in optimarum potius literarum ſtudia ac pietatis exercitia conferam, atque ſic faciam, ut è tua hac liberalitate immenſa emergant commoda. Proderis ita Eccleſiæ Dei, quam dictis & ſcriptis pro talento mihi divi-*

divinitus conceſſo, olim juvabo. Facies, ut tibi totique familiæ noſtræ eruditio mea & uſui & ornamento eſſe poſſit.

6. A conſequentibus. *Nec eſt, quod de gratitudine mea dubites. Sanctè namque polliceor, perpetuò me unicè operam daturum, ut quicquid virtutum & bonarum artium in me fuerit, id omne in tuam unius gloriam cedat. Quin etiam ipſe Deus tuam hanc beneficentiam abundantiſſimè, de quo non dubitabis, in aliis recompenſabit.*

Concluſio conſtet breviſſima argumentorum confirmationis & petitionis repetitione.

Idem exemplum tractat Chytræus *Rhetor. fol.* 100. & Dreſſerus *fol.* 243. Petitionem Junonis habet *Virgil.* 1. *Æneid.* quod explicat Schollius *exercit. Rhetor. fol.* 25. Orationem periclitantis Ungariæ ad Sigiſmundum, Poloniæ Regem; item petitionem nepotis Hortenſii à Tyberio & Senatu Romanorum quatuor ſuis filiis victum è publico flagitantis, habet idem *Schol* 26. Diſpoſitionem, Pſalm. 51. habet *D. Chytræ. fol.* 98. Petitionem qua juvenis familiaritatem magni alicujus viri efflagitat, habet *Dreſſer. fol.* 238. Item Orationem Ariſtagoræ ad Cleomenem petentis auxilium & defenſionem patriæ adverſus hoſtes *ex Herodot. lib.* 5. Oration. Johan, Frider. Ducis Saxoniæ ad Granvellanum & Atrabatenſem Epiſcopum, Cæſaris Legatos habitam,

Anno 1548. qua petit, ut Cæſar conſtantiam ejus in Relig. profeſſione æquanimiter ferat & ipſum tandem è cuſtodiâ liberet, idem *fol.* 253. Orationem Hannibalis qua pacem a Scipione Rom. Duce petit ex *Liv. lib.* 10. *dec,* 3. Idem *fol.* 253. Item analyſin Pſal. 6. & 13. & 25. Epiſtolarum petitoriarum formulas plures invenies apud Melech. Junium *de rat. contexend. Epiſt. fol.* 53. *& ſeqq. ubi vide.*

III. CLASSIS CONSOLATIONUM.

In conſolationibus adhibentur argumenta:

1. A cauſa efficiente ærumnarum, voluntate ſcilicet Dei.

Vbi enumerabimus non caſu ærumnas accidere, ſed Deo ſciente, volente & certas ob cauſas permittente.

2. Ab adjuncta neceſſitate Deo obediendi.

Hic explicabimus Deo, cum vel juſtis pœnis nos premat, vel ærumnis exerceat, non eſſe reluctandum, non murmurandum, ſed patienter in ſapienti ejus conſilio eſſe acquieſcendum. Vbi amplificationis materia occurrit, quod nemo unquam lugendo res adverſas mittigavit, ſed potius exaſperavit.

3. A fine,

3. A fine, in quem calamitates nobis à Deo immittuntur: itemque earundem effectu & utilitate.

Sunt autem varii in ſacra Scriptura hinc inde propoſiti. Deus enim non punit, ut perdat, ſed 1. ut doceat, παθήματα μαθήματα, quæ nocent, docent: Vt 2. fidem, invocationem, patientiam aliaque pietatis exercitia nobis exuſcitet. Vt 3. concupiſcentias carnis & reliquias peccati compeſcat. Vt 4. conformes imagini filii ſui reddat. Vt 5. vitæ hujus tædium, futuræ verò æternæ deſiderium in nobis excitet: Vt 6. majori nos gloria in cœleſti felicitate cumulet, &c. Vbi inſignem amplificationis materiam dignitas profeſſionis & bona conſcientia ſuppeditat, quod non patimur, ut fures, neque latrones, ſed ut Chriſtiani. Hîc enim vacare culpâ verè magnum eſt ſolatium.

4. Ab exemplis aliorum.

Hîc copioſa ſeges per diſtributionem effectorum adhiberi poteſt. Vt 1. proponatur exemplum Chriſti. 2. Prophetarum. 3. Apoſtolorum. 4. Martyrum aliorumque Sanctorum. Quod argumentum amplificari poterit comparat. Impar.

5. A facili ſive cauſa adjuvante.

Vbi introducendæ promiſſiones præſentiæ Dei auxilii

auxilii Spiritus ſancti, corroborantis corda fidelium in ærumnis, ut impoſitum jugum portare queant: Item, promiſſiones mitigationis pœnarum, &c.

6. Ab eventu ſive læta καταστροφῆ & ærumnarum immutatione.

Quæ vel in hac, vel certò certius in futura vita inſecutura eſt: id quod Scripturæ teſtimoniis confirmari & illuſtrari, tàm in hoc quàm aliis hujus generis locis poteſt. Atqui hæc ſunt generalia conſolationum fundamenta. Cùm autem diverſa ſint calamitatum genera, prudenter conſiderandum, qui loci in quibuſvis materiis dominentur; cùm alia ſit conſolandi ratio in paupertate, alia in morte, alia in exilio, alia in carcere, &c. quod rectè monet D. Chytræ. hoc loc. *De diſcrimine conſolationis Philoſophicæ & Chriſtianæ, vide eundem, &* Dreſſerum hoc loc. *Vnico nos hæc illuſtrabimus exemplo.*

CONSOLATIO, NE ÆGRE FERAT Studioſus, quod ſumptus Scholaſtici à parentibus denegantur.

Exord. à demonſtrat. συμπαθείας. *Non ſine magno animi mœrore cognovi, te omni parentum præſidio, in perſequendis liberalium artium ſtudiis, deſtitui, &c.*

Propoſitio. *Verum quia iſta tibi fortuna cum multis cõmunis eſt, æquo animo tolerare debes.*

Confirm.1.argum à cauſ.effic. *Neque enim tuo ſit vitio, ſed, Deo ſic diſponente, temporum evenit injuriâ, quod ab honeſtis ſtudiis alienus eſſe cogeris.*

2. A neceſſitate. *Ideoque ſortem iſtam afflictam æquanimiter tolerabis. Quid enim proficies? quo eandem dolore nequaquam immutare potes, exaſperare duntaxat potes.*

3. A fine & utili. *Potius piè cogita, non in detrimentum, ſed magnum tui emolumentum, inopiam tuam cedere: tùm precationem in te excitet, pietatem exuſcitet, patientiam probet, fervorem diſcendi exſtimulet, & ut majori cum deſiderio functionem aliquam Scholaſticam vel Eccleſiaſticam deſideres & obtineas tandem, procuret.*

4. Ab exemplis. *Adde quod fortuna hæc tibi cum multis communis. Quid quod & plurimi evaſêre viri doctiſſimi, qui non in Academiis annos plurimos inſumpſerunt, ſed vel domi ad parentum focum, vel in Scholarum piſtrinis diu delituerunt.*

5. A facili, itemque ærumnæ immutatione. *Iterum hoc age, ut domi privatâ induſtriâ mutos, quos habes, Præceptores ſtudioſè evolvas, Deumque devotè pro Spir. S. ſui gratia & felici ſtudiorum tuorum ſucceſſu invoces. Indè non ſolum efficaciſſimam doloris mitigationem percipies, ſed & ſuo olim tempore, procurante ſic Deo, exoptatatiſſimam ad honeſtam aliquam functionem promotionem ſenties.*

Con-

Concluſio. *Quapropter ne quantumvis juſto dolori nimium indulges etiam atque etiam deſpice.* Semper habitui temporis ſeſe accommodare ſapientis eſt.

Exempla conſolationum in obitu parentum, propinquorum, &c. habet *in Schol. Rhet. Iun. f.94.* Item, *Chytræ.f.*112. *Dreſſer.f.*227.282.& 316. *Treutler. meth. eloq. lib.* 1. *de imitat.* & *Schnellius in praxi Log. pag.*85. de conſolat. ob jacturam rei familiaris, *idem ib.* Conſolationem opponendam paupertati, morbis, exilio, carceribus, *D.Chytræ.fol.*113.& *ſeqq.* Exempla conſolationis Philoſophicæ ex Cic. habet *Dreſſ.f.*272. Conſolat. in concurſu calamitatum, *fol.* 293. in contemptu literarum, *fol.*298. Exempla conſolationis Theologicæ contra ærumnas Scholaſticas, *fol.* 321. contra afflictiones, *fol.* 331. contra tentationes, *fol.*343.

DE COMMENDATIONIBUS.

Commendationes miſti ſunt generis, itaque ad certum cauſarum genus in ſpecie referri non poſſunt. Pertinent autem tum ad Genus Demonſtrativum, tum ad Deliberativum. Ratio in promptu eſt. Quia commendationum partes duæ ſunt: prior, Laudatio ejus, quam commendamus, perſonæ. Poſterior, Petitio, qua petimus eum quem commendamus, ab amico, ad quem ſcribimus, in fidem, amicitiam ac patrocinium recipi. Hæc igitur pars generis deliberativi eſt, eidemque loci petitionem applicari, pro

diverſitate rerum, poterunt. Illa verò Generis Demonſtrativi eſt, eidemque loci commendat. Perſonarum accommodari poſſunt.

Præcipui autem loci commendationis ſunt

1. A ſubjecto, natione ſive patria.

2. Cauſa efficiente procreante & conſervante, parentibus, familia, educatione.

3. Ab adjunctis Internis, ingenio, doctrina, moribus, modeſtia, fide induſtria, humanitate, obſervantia & pietate erga ſuperiores,

4. Ab effectis, rebus ſcilicet geſtis.

5. Ab adjunctis externis, vitæ genere, officio, cognatione vel amicitia, quæ ipſi nobiſcum, vel aliis viris bonis intercedit.

Atqui hi loci depromuntur è Genere Demonſtrativo: ſeqq. verò è genere Deliberativo.

6. Ab honeſto.

7. A fine ſive utili.

8. A conſequenti, ſive gratitudinis & obſervantiæ promiſſione.

Ubi

Ubi obſerva 1. *In commendationibus quibuſvis, non loci quivis adhibeantur, ſed pro qualitate perſonæ, rei & circumſtantiarum, duntaxat aliqui.* 2. *Non excedatur modus in commendando. Onus* enim *eſt*, quod Euripides dicit, *nimium laudari.* 3. *Non iis qui nobis vel officio, vel familiaritate devincti ſunt, prolixè commendentur alii.* 4. *Non commendentur ignoti, quorum vita & mores non ſatis perſpecti & probati: Multò minus improbi*: juxta illud Horat. lib. 1. Epiſt.

Qualem commendes etiam atque etiam adſpice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Exempla plurima commendationum ſuppeditat, *lib.* 13. *Epiſt. familiar. Cicer.* Item *Scholæ Rhet. Melch. Iunii.* Exempla è *lib.* 7. *Epiſt.* 5. & 11. *Epiſt.* 16. habet *Dreſſer. fol.* 375. Commendationem Studioſi, itemque Scholaſtici. *fol.* 377. & *ſeqq.* Quò brevitatis gratia vos remitto. Supereſt Genus Jurediciale, quod licet prolixum ſit & ob diverſiſſimam cauſarum, quæ in judiciis tractantur varietatem intricatum ſatis. Nos tamen Generalia duntaxat ejuſdem præcepta, brevibus exemplis declarata, curſim quaſi delibabimus. Id enim ſuadet materiæ qualitas, quæ non Scholarum claſſes, ſed fori potiſſimum ſpectat actiones: Judet temporis, quâ intercludimur, anguſtia.

CAPUT XII.

1. GENUS JUDICIALE eſt, quod in controverſiis forenſibus verſatur.

Nomen habet à judiciis, quibus accommodatum eſt. Difinitio ab objecto, ſive materia circa quam, ſumpta eſt. Verſatur enim hoc genus in æquitate & jure diſceptando, in quibuſvis controverſiis, quæ in judiciis forenſibus ventilari ſolent. Atque ſic finis ejus eſt juſtum ac injuſtum. *Eidem verò ſubjiciuntur.* 1. Accuſationes. 2. Apologiæ ſive defenſiones, *quæ ſunt generalia hujus generis capita. Quicunque enim in judiciis diſceptant, horum alterutrum eos facere neceſſe eſt, vel accuſare vel defendere.* 3. Expoſtulationes. 4. Querelæ. 5. Execrationes. 6. Comminationes. 7. Invectivæ. 8. Obtrectationes. 9. Objurgationes, &c.

2. Claſſes hujus Generis ſive ſtatus ſunt tres. 1. Conjecturalis. 2. Legitimus ſive Definitivus. 3. Juredicialis ſive Qualitatis.

Status nihil aliud ſunt, quàm principales quæſtiones & propoſitiones ſummam rei continentes,

nentes, ad quam omnia argumenta referenda. *Cicero* controverſiarum & cauſarum genera *ſive* conſtitutiones *cauſæ vocat. Græcè* στάσεις *dicuntur. Latinè* ſtatus, *quia hic uterque Orator (accuſator & defenſor) ſubſiſtit, & primus cauſæ fit congreſſus: Vnde Græci ſtatum etiam* ἀγῶνα, *id eſt,* certamen *nominârunt.* Differt autem ſtatus à propoſitione. Status eſt quæſtio conſtans, 1. affirmatione vel intentione. 2. negatione vel depulſione, *ut, An Roſcius occiderit patrem? Accuſator ait, Defenſor negat.* Propoſitio verò eſt alterius partis videlicet vel intentionis (affirmationis (vel depulſionis) negationis) aſſertio. *Vt Orationis pro Roſcio propoſitio eſt: Roſcium non occidiſſe patrem. Et hi ſtatus reliquis cauſarum generibus ſunt communes. Generis n. Deliberativi eſt ſtatus deliberativus. Demonſtrativi, demonſtrativus. At cum in hoc genere magna ſit cauſarum varietas, ſpeciatim de iiſdem in eodem dicendum. Quicquid enim in controverſiam venit & diſceptatur, de eo quæri ſolet.* 1. An ſit? *hoc eſt, factum ne ſit aliquid nec ne: Vnde emergit ſtatus conjecturalis.* 2. Quid ſit? *hoc eſt, ſi factum ſit, quod nomen mereatur, & quomodo definiendum: Vnde enaſcitur ſtatus Definitivus.* 3. Quale ſit? *hoc eſt, jurène, an ſecus factum videatur, unde reſultat ſtatus Iuredicialis: Ad hos autem diſtinctos tres ſtatus inveniendos & dignoſcendos conſideranda ſunt ſex,* 1: φάσις, intentio accu-

 ſatoris.

ſatoris. 2. ἀπόφασις, depulſio defenſoris. 3. ζήτημα, Quæſtio. 4. αἴτιον, Ratio. 5. σύνεχον, Firmamentum. 6. κρινόμενον, judicatio. *Declaro exemplis. Status oritur ex intentione (affirmatione) accuſatoris & depulſione (negatione) defenſoris: ut, Intentio eſt*, occidiſti: *Depulſio eſt*, non occidi. *Hic ſtatus ſeu Quæſtio eſt, an occiderit? In hoc enim tota cauſa conſiſtit. Porrò Reo quærendum eſt* αἴτιον, *Ratio: Accuſatori afferendum* σύνεχον. *Ex ratione deinde Rei, & firmamento accuſatoris, naſcitur* κρινόμενον, *id de quo diſceptatur. Quanquam, quod obiter notabis,* κρινόμενον *idem quandoque eſt quod ſtatus.*

Exemplum ſtatus Juredicialis.

Intentio Occidiſti ſororem tuam, Horati. *Depulſio ſeu inficiatio* Occidi; *inquit Horatius*, (ſed jure occidi) *Status igitur hic eſt qualitatis, juſténe an injuſtè Horatius ſororem occiderit. Ratio Horatii tanquam Rei*; jure interfeci. Nam illa mortem hoſtium lugebat, populum Romanum viciſſe moleſtè ferebat. σύνεχον, *Accuſatoris*. At à fratre tamen indemnata necari non debuit. Κρινόμενον *igitur ex rationis & infirmationis conflictu naſcitur*: Cum Horatia interitum hoſtium lugeret, & ob populi Romani victoriam non gauderet: juréne frater indemnatam interfecerit, nec ne? *Hæc quæſtio principalis eſt, ſeu ſtatus Iuredicialis.*

Exem-

Exemplum ſtatus conjecturalis.

Intentio: Tu es ſacrilegus. *Depulſio criminis:* Non ſum ſacrilegus; ſed fur; *ſtatus igitur ſeu Quæſtio eſt. Quidſit:* An Titius ſit ſacrilegus, an fur? *Αἴτιον, Titii Rei.* Non ſum ſacrilegus quia rem prophanam ſuſtuli. *σύνεχον. Accuſatoris.* Ex templo illam rem ſurripuiſti. *Hinc naſcitur* Κρινόμενον: ſacrilegiumne an furtum commiſerit Titius, quod profanam pecuniam ex templo ſuſtulerit? *Hæc quæſtio principalis eſt, ſeu ſtatus Definitivus.*

Exemplum ſtatus conjecturalis.

In conjecturali ſtatu non opus eſt rationem & firmamentum addi: ſed ex intentione & depulſione ſtatim ſequitur Κρινόμενον: *ut, Intentio;* Occidiſti, Milo, Clodium. *Depulſio Milonis Rei.* Non occidi *Hinc oritur* Κρινόμενον, An Milo Clodium interfecerit? *Qui eſt ſtatus conjecturalis. Alia exempla habet Schollius* Schol. 28. ubi vide.

CAPUT XIII.

1. STATUS CONJECTURALIS eſt, cum quæritur: AN SIT? *ut, An Roſcius occiderit patrem. An Archias ſit civis Romanus.*

Græcè dicitur στάσις στοχαστικὴ & στοχασμὸς, ἀπὸ τοῦ στοχάζεσθαι à conjectando.

2. Loci argumentorum confirmationis in hoc ſtatu ſunt duplices, Artificiales & Inartificiales.

3. Artificiales ſunt duo, Voluntas (βούλησις) & Facultas (δύναμις.)

Ex his enim tanquam fontibus rerum incertarum conjectura deducuntur: & ad hæc duo capp. rationes pleraque omnes hujus ſtatus referuntur. Cùm enim de facto eſt controverſia, probandum eſt & voluiſſe & potuiſſe.

4. Voluntas, qua quis velle aliquid aut voluiſſe ſignificatur.

Complectitur autem voluntas duo: Impulſionem & Ratiocinationem. Impulſio *eſt cùm ex cauſa efficiente* προηγουμένη, *ſeu affectione aliqua interiori argumenta ducuntur, utputa cum oſtenditur ira, odio, amore, avaritia, furore, invidia, vindictæ cupiditate, aliove affectu factum profectum eſſe.* Ratiocinatio *eſt, cum à cauſa finali argumenta ducuntur: ut, cum vel à ſpe commodi & lucri, vel fugiendi incommodi & adipiſcendæ impunitatis, factum perpetratum colligitur.*

5. Facultas, qua fieri aliquid potuiſſe, aut non potuiſſe ſignificatur.

Com-

Complectitur autem facultas adjuncta. 1. Signa, *quæ ſunt vel facta, vel alicujus facti notæ, vel antecedentia vel conſequentia, vel conjuncta: & omnia vel neceſſaria vel probabilia.* 2. Circumſtantias *quæ ſunt vel* 1. Perſonarum: *ut, nomen, natio, patria, &c.* 2. Rerum: *ut, locus, tempus, occaſio, modus, inſtrumenta, cauſa, quæ, trito hoc Rhetorum verſiculo continentur:* Quis, quid, ubi, quibus auxiliis: cur, quomodo, quando.

6. Loci inartificiales ſunt teſtimonia divina & humana.

Divina, *cùm à vaticiniis, prædictionibus & Scripturæ dictis argumenta ſumuntur.* Humana, *cùm à ſcriptis, pactis, promiſſis, juratis, quæſitis, rumoribus, præjudiciis, tabulis, argumenta ſumuntur. Atqui hi ſunt præcipui loci hujus ſtatus, tum accuſatori tum Reo communes. Ab accuſatoris partibus erit, ſi omnes in Reum detorquere poſſit. A Rei partibus contrà, ſi ad omnes reſpondere poſſit inficiando, novas rationes accuſatoris conjecturis opponendo. Vbi unum* nota. *Cùm acerrimus hic conflictus ſit circa ſigna, peculiaris duo loci ſunt defenſoris.* 1. Inverſio, *cum docet defenſor ſignum contra Reum productum, pro Reo facere, ut*, ſepeliiſti. E. occidiſti, *arguit accuſator.* Imò, *invertit Reus*, ſi occidiſſem, non ſepeliiſſem, ſed ſtatim mihi fugâ conſuluiſſem. 2. Abſolutio, *cum aliter ac adverſarius, ſignum*

interpretatur, ut cum oſtendit id, quod factum, miſericordiâ & humanitate eſſe, ut, ſepelii quidem at non conſcius mihi cædis, ſed ductus miſericordiâ. Nota & *hoc. Decet in hoc genere ſono Orationis uti majore, præſertim ubi cauſa gravior*. Dreſſ. fol. 151. *Sit Thema*

FRATRES JOSEPHUM occiderunt.

Confirmat. arg. princip. à volunt. 1. à cauſa προηγουμένη impulſiva. *Voluiſſe ipſos Ioſephum è medio tollere, oſtendit odium pluſquam Vatinianum, quo adverſus ipſum longo tempore flagrarunt, eò quod patri impensè eſſet charus, & ipſos virtute & pietate longè antecelleret.*

2. A cauſa finali. *Occiderunt eum ſui compendii & lucri ergò, ne poſtmodum cogerentur ipſi regnanti miniſtrare & ſervire*, vid. Gen. 37. 8.

2. Argum. princip. à Facult. 1. à ſignis antecedentibus. *Arguit illud ipſum, quod longo tempore cum ipſo non collocuti ſunt fraternè: ſed minitati ſæpius extremum exitium*, Geneſ. 20.

2. A ſignis conſeq. *Quod veſtem, quâ ipſe indutus fuerat, mittunt conſperſam ſanguine: in eo tamen: ſingulari dementatione divinâ ſcelus ſuum produnt, quod non laceratam à fera mittunt.*

3. A cir-

3. A circumſtantiis loci & temporis. *Quod comprehenderunt ipſum & quidem ſolum, & in campo ab hominum habitatione remotiſſimo; in Dothan ſcil.* Gen. 37. 7.

3. Argum. princ. à Teſtimon. *Quod viri Sichemitæ teſtantur, ipſum incolumem perveniſſe in Dothan ad fratres. Adde, quod rumor pervulgatus de Fratricidio hoc, in univerſa circumjacente regione ſit ſparſus.*

Concluſio. *Conſtat igitur Ioſephum non à beſtiis laceratum, ſed à fratribus interfectum eſſe.*

Plura de hoc argumento, *vid. apud Chytræ. fol.* 151. Exemplum, An Clodius fuerit inſidiatus vitæ Milonis. An Roſcius ſit parricida, habet *idem ibid.* Huc igitur pertinent Orat. Cicer. pro Roſcio, & pro Cælio, qua ventilatur quæſtio, an venenum Clodio paravit Cœlius, quæ pluribus diducuntur è *Dreſſer. Rhetor. fol.* 152. *& ſeqq.* An Philænus Sempronium nocte quadam à Cœna redeuntem pulsârit & Philæni defenſio; *id. fol.* 165. *& ſeqq.* Contrarias Orationes duas Perſei & Demetrii, filiorum Philippi Regis Macedon. quibus diſputatur. An Demetrius vitæ fratris inſidiatus ſit, habet *Liv. dec.* 4. *lib.* 10 Q. An Titius Sempronium occiderit, in utramque partem diſputatam, habet *Schol, exerc. Rhet. Schol.* 29.

CAPUT XIV.

1. STATUS LEGITIMUS SIVE DEFINITIVUS

eſt, cùm quæritur: QUID SIT? ut, *Sitnè ſacrilegium, ac furtum appellandum, ſi quis pecuniam prophanam è loco ſacro ſuſtulerit? An peccatum ſit cogitatum, dictum vel factum contra Legem Dei, an vero etiam naturalis nobis ingenita pravitas ſeu concupiſcentia originalis?*

Dicitur Græcè 1. στάσις ὁρικὴ ὁριστικὴ. Finitivus *ſeu* Definitivus, *quia controverſia hîc ex definitione tùm rei tùm nominis, ex ſignificatione item verborum naſcitur, & quæritur (cùm de facto & auctore ejus conſtet) quo nomine ſit appellandum.* 2. *Dicitur* στάσις νομικὴ, Legalis *ſivè* Legitimus, *quia in ſcripto, aut ſententia, aut re dubia, beneficio hujus ſtatus definitivi, propria & legitima explicatio adornatur. Accipitur ergò hîc Definitio generatim, pro quacunque tum nominum & vocabulorum interpretatione, tum rei etiam definitione, diſcriptione, & explicatione, non quidem Logica, ſed Oratoriâ, ornata atque copioſa, qualiſcunque etiam fuerit, interpretatione:*

tatione : item , antecedentium , conſequentium , partium , contrariorum , ſimilium , diſſimilium , &c.

2. Argumenta confirmationis in hoc ſtatu à conditionibus bonæ definitionis ſumuntur : in refutatione verò vitia definitionum monſtrantur.

Sunt autem bonæ definitionis conditiones è Logicis petendæ : Quales. 1. Omnis definitio perfecta conſtet verbis propriis , non modificatis. 2. Non ſit latior neque anguſtior definito. 3. Cum definito reciprocetur. 4. Definitum non ingrediatur definitionem. 5. Definitum & Genus definitionis ſint in eodem prædicamento. 6. Definitiones perfectæ ſint tantùm Entium , &c. *De quibus conſules in Log. locum definit. Quæcunque ergo definitio in alterutram ex his legibus impingit , vitioſa eſt, ideoque repudianda. Alii duplicem in hoc ſtatu faciunt definitionem :* Alteram accuſatoris, *quam nominant ὅρον :* Alteram defenſoris, *quàm vocant ἀνθορισμὸν, contrariam priori definitionem , Locos autem defenſoris in hoc ſtatu conſtituunt ſeptem , 1. A conſuetudine & proprietate ſermonis. 2. à contrario. 3. à conſequenti , quid ex illa interpretatione accuſatoris ſequatur. 4. ab Etymologia vocis. 5. ab æquitate legis. 6. ab auctoritate rerum antè judicatarum. 7. à ſimilibus & exemplis.*

Pro

Pro declaratione præceptorum reſumamus propoſitum modò.

Exemplum.

In Theologicis contentio eſt inter nos & Pontificios. An peccatum ſit cogitatum, dictum vel factum contra Legem Dei? *Affirmant iſti: Negamus nos, refutando ex definitionis bonæ conditionibus, iter quas eſt & hæc:* Definitio non eſto anguſtior definito. *Atqui hæc eſt talis. Omittit enim concupiſcentiam originalem, quæ & ipſa peccatum*, Rom. 7. *& inimicitia adverſus Deum*, Roman. 8. *Veriſſima igitur eſt definitio.* Peccatum eſt aberratio à norma Legis divinæ; è 1. *Iohan.* 3. 4. *Sic controvertitur.* An Miſſa ſit ſacrificium, quod mereatur remiſſionem peccatorum viventibus & mortuis? *Affirmant Pontific. Negamus nos à conditionibus bonæ definitionis. Quia ſacrificium tale Pontificium eſt non ENS: E. nec definiri poteſt. Solius enim Chriſti paſſio & mors meretur aliis remiſſionem. E. non Miſſa. Cùm ſolitariæ cauſæ ſolitarius ſit effectus.*

Alia exempla definitionum vocabulorum *Gratiæ, fidei, juſtitiæ, pænitentiæ, libertatis Chriſtianæ*, habet *D. Chytræ. Rhetor. fol.* 175. Pleniora exempla; An ſc. Conſtantinus Magnus Pontifici Rom. Sylveſtro Primatum Eccleſiæ per univerſum terrarum orbem una cum Politico. Imperio totius Occidentis donarit, habet

habet *Dreſſer. fol.* 149. Item de Aſtrologia judiciaria, *fol.* 196. De bonis operibus, an ad ſalutem neceſſaria, *fol.* 198. An Monachus, qui propter interfectum Regem Galliarum ultimo ſupplicio affectus eſt, ſit Martyr dicendus: an parricida, *Scholl. Schol.*30.

3. Species ſtatus Definitivi ſunt quinque:

1. Contrariæ Leges.
2. Scriptum & ſententiæ.
3. Ambiguum.
4. Tranſlatio.
5. Ratiocinatio.

Alii conſtituunt ejuſdem ſpecies ſex, addunt namque etiam Definitionem: *quam nos ut generale genus hic conſideramus, cui reliqui ſtatus contrariarum legum, ambigui, &c tanquam ſpecies eò ſubjiciuntur, quod diſceptatio de ſignificatione verborum in iisdem agitatur. Cicero in partitionibus tres tantum recitat: Autor ad Heren. quinque: Omittit enim Ratiocinationem.*

I. STATUS CONTRARIARUM LEGUM

eſt, cum duo vel plures Leges, tanquam contrariæ controverſiam pariunt, *ut, Chriſtus Matth.* 10. 5. *Apoſtolis dicit:* In

viam

viam gentium ne abieritis, *Matth. verò* 28. 19. *ait* : Ite, docete omnes gentes.

Quandocunque Leges, conventa, pacta, ſententiæ, ſcripta, inter ſe diſſentire videntur, cum videlicet eadem de re altera præcipit, altera prohibet, altera permittit, altera cogit: altera in ſpecie de parte, altera in genere de toto loqui videtur, naſcitur inde Antonomia, *ſeu ſtatus contrariarum Legum Græc.* στάσις τῆς ἀντινομίας.

2. Argumenta confirmationis & confutationis in hoc ſtatu ſumuntur:

1. Ex cauſis efficientibus: *Vnde hæ Regulæ*:

Lex inferior, cedit ſuperiori.

Lex humana, cedit divinæ.

Sic utraque Lex divina eſt : Non facies furtum: Spoliate Ægyptios. *Sed illa inferior, quia poſterior: hæc ſuperior, quia prior, & novo mandato ſpecialiter à Deo præcepta. Vtraque Lex naturæ eſt*, Redde depoſitum: Nemo eſt lædendus. *Sed illa inferior, hæc ſuperior. Furioſo ergo repoſcenti gladium depoſitum non eſt reddendus. Lex divina eſt* : Non occides. *Lex humana Pharaonis* : Obſtetrices interficite filios Iſraëlitarum. *Lex divina communionem ſub utraque ſpecie, conjugium item omnibus, tum Clericis tum Laicis præcipit.*

Lex

Lex humana Pontificum Rom. prohibet. Ergo hic Deo magis obediendum, quàm hominibus, *Actor.* 5.

2. Ex Materia: *Vnde hæ Regulæ:*

Lex ſpecialis derogat generali.

Leges ſecundæ Tabulæ cedunt primæ.

Sic lex generalis eſt Matth. 26. Quicunque acceperit gladium, gladio peribit. *Huic derogat ſpecialis Rom.* 13. Magiſtratus non fruſtra gerit gladium, Dei miniſter eſt. *Item, Generalis eſt:* Non occides: *Huic derogat ſpecialis Gen.* 19. Qui effuderit humanum ſanguinem, hujus ſanguis per HOMINEM effundetur. *Magiſtratui ergo gladius generalibus iſtis Legibus è manibus non excutitur. Sic Abraham immolaturus filium ſolutus eſt ſecunda tabula per primam, quia ſecunda circa res humanas, prima autem circa Deum verſatur.*

3. Ex circumſtantiis temporis, perſonarum & rerum. *Vnde hæ Regulæ:*

Leges veteres corriguntur & abrogantur novis.

Verba legis ſecundum ſubjectam materiam ſunt intelligenda & explicanda.

Prior Regula reſpicit circumſtantiam temporis, *ſic Leges Ceremoniales & Forenſes, tanquam veteres correctæ & abrogatæ ſunt novis per Apoſtolos. In Vet. Teſt. Deus prohibuit uſuras. In N. Teſt. Magiſtratus propter probabiles cauſas concedit. Furtum apud veteres puniebatur quadruplo. Leges Imperatoriæ puniunt ſuſpendio. Poſterior reſpicit* circumſtantias perſonarum & rerum. *Sic Leges Forenſes & Ceremoniales latæ ſunt tantum Iudæis, ideo additur ſemper :* Hæc obſervabitis in generationibus veſtris. *Ad eaſdem ergo hodiè nos non obſtringimur. Sic Parentibus & Præceptoribus eſt obtemperandum, amicis eſt gratificandum, at non in omnibus rebus, verum ad aras uſque ; quatenus nil contra dilectionem Dei & proximi præcipiunt.*

4. Ex cauſa finali & voluntate Legiſlatoris. *Vnde Regula :*

Ceſſante fine ſive conditione Legis, ceſſat & ipſa Lex.

Sicut ceſſante fine ceſſat & ratio finis. Sic finis cur Deus in Lege ſculptilia & imagines fieri voluit, eſt, ne adorentur, Lev.26.1. Ergò illa conditione ceſſante, ceſſat & Lex ipſa, hoc eſt, ubi non adorantur, ubi nec factio nec prohibitio locum habet, & ſic ſunt libera. Contra autem mentem Legiſlatoris interpretantur,

tur, qui etiam extra hunc finem adorationis, nullas omninò imagines faciendas eſſe contendunt.

5. Ex adjunct. perfectione vel imperfectione: additione vel detractione & detorſione.

Plures, de Legum contrariarum conciliatione Regulas exemplis Theologicis illuſtratas, habet D. Chytræ. Rhetor. fol. 180. ubi vide. *In tranſcurſu hîc* nota: *In tractatione hujus ſtatus ſic procedemus. Ex enumeratis locis,* 1. *Legem pro nobis facientem recitabimus.* 2. *Explicabimus, & contrarietatem (ſi ſpecie tantùm, non revera aliqua inter ſe pugnent) conciliabimus.* 3. *Oſtendemus eam* 1. *ſententiæ voluntati Legiſlatoris.* 2. *cauſæ noſtræ apprimè convenire: id quod jure, uſu, conſuetudine, conſequentibus, ſimilibus vel exemplis demonſtrabimus.* 4. *Legem ab adverſario allatam, docebimus aut non convenire negocio; & ſic præter rem adductam: aut ſi conveniat, vel ἀντιλογίαν eſſe in verbis, non in rebus; & ſic conciliari debere: Vel pro nobis potius facere, quàm contra nos ſtare.* 5. *Diſpiciemus, num Lex ſit per alium abrogata, vel correcta, vel aucta, & ſic pro ratione circumſtantiarum rejectanda.*

II. STA-

II. STATUS SCRIPTI & SENTENTIÆ

eſt, cùm ex ſcripto aliquid ambigui aut abſurdi oritur, de cujus ſententia controvertitur: ut, *Iohan. 2. v. 20. dicit Chriſtus Iudæis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc Iudæi interpretabantur de Templo Hieroſolymitano. vers. 21. Chriſtus autem dicebat de templo corporis, vers. 22.*

Græcè dicitur στάσις τοῦ ῥητοῦ καὶ τῆς διανοίας. *Sunt ergo duæ hujus ſtatus partes:* Altera *enim pars nititur ſcripto, ſive verbis, quæ ſcripta ſunt, & ſequitur ſimplicem eorundem ſignificationem:* Altera *verò conatur probare* τὴν διάνοιαν, *mentem & ſententiam ſcriptoris; Sic Iudæi nitebantur in allato exempl. ſcripto, Chriſtus verò intendebat ſententiam. Sic in verbis inſtitutiones Cœnæ Dominicæ:* Hoc eſt corpus meum: *Retinemus nos & urgemus* τὸ ῥητὸν, *ſimplicem & nativam verborum ſignificationem: Adverſarii verò ad* διάνοιαν *confugiunt, variaſque eorundem ſignificationes comminiſcuntur.*

2. Argumenta Confirmationis & Confutationis in hoc ſtatu ſumuntur præcipuè.

1. A te-

1. A teſtimoniis divinis & humanis.

Sed tamen pro diverſitate ſubjectæ materiæ, in Eccleſiaſticis controverſiis: à Scripturæ teſtimoniis clarioribus: in negotiis verò civilibus à legibus.

2. A locis Dialecticis ſcil. à Definitione & diviſione. 2. cauſis. 3. effectis. 4. adjunctis circumſtantiis. 5. à contrariis pugnantibus, abſurdis.

Confirmatio autem τȣ͂ ῥητȣ͂ ſive ſcripti abſolvitur. 1. Propoſitione, *quæ contineat brevem expoſitionem ſententiæ controverſæ.* 2. Lectione *ſeu recitatione dicti, ſcripti vel legis alicujus. Vbi Scriptorem collaudabimus, & ex adverſario, num ita ſcriptum eſſe concedat, ſciſcitabimur.* 3. Diſtinctione *& explicatione τȣ͂ ῥητȣ͂, dicti vel ſcripti. Vbi ſcriptum ipſum ſimpliciſſimè interpretabimur, & interpretationem adverſariorum rejiciemus.* 4. Confirmatione *noſtræ explicationis. Vbi* 1. *rationes, cur ita ſenſerit auctor, ſicuti verba ſonant, à juſto, utili, neceſſario aſſeremus.* 2. *Exempla, eventus, & teſtimonia, in quibus hæc ſcripti ratio obſervata fuerit, commemorabimus.* 5. Petitione *ne temerè judices vel auditores ab expreſſis verbis diſcedant: ubi incommoda & pericula enumerabimus, quæ, niſi τὸ ῥητὸν obſervetur, ſequantur.*

Vbi

Vbi obſervandæ hæ Regulæ:

1. A verbis, hoc eſt, à propria ſive nativa rerum ſignificatione in dubio) *ſine legitima cauſa*) non eſt recedendum.

2. Una, ſimplex, certa & principalis Scripturæ, eſt ſententia, quam τὸ ῥητὸν ſacræ Scripturæ gignit. *Itaque*

3. Si τὸ ῥητὸν ſacræ Scripturæ planum & perſpicuum eſt, nec cum aliis manifeſtis Scripturæ locis aut fidei articulis, ſed tantùm cum judicio rationis pugnat, ipſa verborum proprietas religiosè tenenda eſt, *ut, in Articulis; de Cœna Dominica, de reſurrectione mortuorum, de duabus in Chriſto naturis, de æterna & vera Chriſti divinitate, conſtantiſſimè* τὸ ῥητὸν *adverſus Sacramentarios, Photinianos, Epicureos retinendum eſt, etiamſi in judicium rationis impingant.*

4. In aliis omnibus æquitas ſcripto præferenda eſt.

Confirmatio τῆς διανοίας *ſive ſententiæ & voluntatis Scriptoris probatur.* 1. *Communi defenſionis Regula:* Omnis Legis vis, non in verbis; ſed in conſilio Scriptoris & utilitate communi

communi conſiſtit. 2. Cauſa, *quamobrem Legiſlator vel Scriptor non diſtinctione uſus ſit: Ubi 1. collaudabimus ipſum, quod hæc ſcripſiſſe, ad intelligenda reliqua ſatis putârit. 2. Voluntatem ejuſdem ex antecedentibus & conſequentibus colligi; exemplis, eventibus, teſtimoniis, legibus, conſuetudine eandem illuſtrari demonſtrabimus.* 3. A conſequentibus, *ubi recenſebimus abſurda, quæ, ſi τὸ ῥητὸν ſimpliciter ſervetur, ſint ſecutura: repugnare ſcilicet Legibus, conſuetudini, naturæ, bono & æquo. Atque ſic non tàm abſurdam quàm ſimpliciter impoſſibilem eſſe.* 4. Concluſione, *qua monebimus judicem ſive auditorem, ut ſententiam & æquitatem magis, quàm ipſa verba amplectantur.*

Vbi obſervandæ hæ Regulæ:

1. Cum verba nimis ſunt generalia, quærendus eſt ſenſus, qui veritati, utilitati & honeſtati maximè congruit.

Itaque

2. Ubicunque ex verbis ſimpliciter intellectis reſultat iniquitas vel abſurditas, tunc à verbis receditur, & mens ſervatur.

3. In ambiguis Orationibus maximè ſententia ſpectanda ejus, qui eas protulit.

4. Is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Leges nititur voluntatem.

5. In Theologicis ubicunque τὸ ῥητὸν ſimpliciter intellectum, impingit in aliquem articulum fidei, quærenda eſt διάνοια

6. In Theologicis διάνοια vel ex genere ſermonis & conſuetudine loquendi; vel ex ſummâ doctrinæ Chriſtianæ; vel ex aliorum Scripturæ teſtimoniorum & circumſtantiarum collatione: In civilibus verò ex æquitate, naturali ratione Legum, conſuetudinis, aliarumque circumſtantiarum conſideratione inveſtigatur.

Exempla. In Scripturis dicitur Chriſtus lapis, vitis, fons vitæ, &c. Chriſtiani verò palmites, oves. &c. Hæc effata κατὰ τὸ ῥητὸν intellecta, pariunt abſurditatem. Itaque διάνοια admittenda, quod Chriſtus ſit ſimilis lapidi, viti, fonti: Chriſtiani palmitibus, oviculis. Sic, lex eſt lata, peregrinus murum conſcendens moriatur. Paulus muros Damaſci conſcendit. Quæritur ergò num ſecundum tenorem Legis ſit morte mulctandus? Hic ῥητὸν pugnat cum æquitate naturali. Lex enim hominem non

non punit, qui per muros ſe dejiciens ex incendio eripitur. Ecquid verò differt incendium à latronum truculentia? Recurrendum igitur hîc ad ſententiam, & benigniùs Lex interpretanda, de illis, qui vel per ludibrium, vel hoſtiliter, muros conſcendunt. Semper autem excipiendus caſus neceſſitatis. Alia exempla vide apud D. Chytr. fol. 189. & ſeqq. & Dreſſer. fol. 205. 206.

III. STATUS AMBIGUI eſt, cùm dictio aliqua plura ſignificans controverſiam parit: *ut, Teſtator moriens legavit Titio taurum. Titius petiit Taurum ſervum, herus autem vult dare taurum animal cornutum, non ſervum. Hinc oritur ſtatus ambigui in vocabulo* Taurus.

Eſt hic ſtatus cognatus ſuperiori. Ambiguitas autem vel in una voce eſt, vel in ſingulis & conjunctis, vel in accentu, vel in conſtructione: & oritur vel ex genere ſermonis, vel ex rebus. Sic in jure Pontificio diſt. 32. c. multorum. *Canon extat:* Sacerdos ducens uxorem ſuſpendatur. *Hic ambiguitas ſermonis eſt in verbo* ſuſpendatur, *quod alii interpretantur de ſuſpendio propriè dicto: Alii de ſuſpenſione ſive remotione ab officio. Ejus generis eſt & hoc:*

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?

Ne ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.

Huc igitur pertinent omnia exempla Fallac. homonymias, æquivocationis, ambigui. Etymolog. Orthograph. Proſodiæ, accentus, dictionis & Syntaxews: de quibus conſule Inſtitut. noſtras Dial. lib. 2. in appendice & doctrina Fallaciarum.

2. Argumenta confirmationis & refutationis in hoc ſtatu ſumuntur.

1. Ex Grammatica, ſi ex genere ſermonis oritur ambiguitas.

Nempe phraſi cujuſque linguæ, figuris, Tropis & Schematibus. Vt Paulus dicit: Hæreticum poſt unam aut alteram admonitionem devita. *E. Hæretici ſunt* de vita *tollendi. Nam* devita *hic verbum eſt, non nomen; & ſignificat idem quod* cave *vel* fuge.

2. Ex Definitione, diviſione, adjunctis circumſtantiis, comparatis aliis, ſi ambiguitas oritur ex rebus.

Ambigua enim definitionibus & diviſionibus explicantur, & collatis ſententiis, quæ ex ambiguis exſtruuntur, ea quæ veriſimilior eſt, approbanda. Vbi nota: *Diſtinctionem ex definitionibus & diviſionibus ſumendam ex iis artibus, unde vocabula ambigua ſunt deprompta. Sic Luc. 1. Deus erexit* cornu *ſalutis: Phraſi Hebræâ*

Hebræâ cornu *ſignificat potentiã, item copiam, defenſionem, regnum, Eſai.*53. Brachium *Domini, cui revelatum eſt, id eſt, potentia, majeſtas & gloria. Oritur etiam ambiguitas ex rebus, cùm genus ſine diviſione inſpecies, vel diviſio in ſufficiens ponitur. Sic cum Dominus inquit, Mihi vindicta, ego retribuam. Inde colligunt Anabaptiſtæ omnem omninò vindictam prohibitam, nec Magiſtratui licere ſontes punire. Verùm hic genus poſitum eſt abſque diſtinctione, vindicta ſcilicet privata.*

Tractatio Ambigui abſolvitur 1. Vocis ambiguæ inveſtigatione : *Vbi videbimus, num ambiguitas poſſit definiendo & dividendo diſcerni.* 2. Commendatione noſtræ ſententiæ & interpretationis: *Vbi oſtendemus noſtram ſententiam convenire* 1. *propoſito negotio.* 2. *menti ſcriptoris.* 3. *æquitati, naturæ, tempori, conditioni, perſonæ, legibus, conſuetudini & communi omnium intelligentiæ.* 3. Refutatione: *Vbi oſtendemus adverſarii interpretationem aut falſam eſſe, aut inutilem, aut turpitudine conjunctam.* 4. Comparatione: *Vbi demonſtrabimus adverſarii interpretationem eſſe omnibus iſtis, è quibus noſtra deprompta, è diametro contrariam. Huc pertinent Regulæ:*

1. In obſcuris conſiderare oportet, quid vero ſimilius eſt, aut quod plerunque fieri ſolet.

2. Oportet ſecundùm plura intelligi pauciora, *Tertull.*

3. Verba intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam.

4. Semper res magis quàm verba ſpectanda.

5. Sententiâ perceptâ & cognitâ, de verbis non eſt anxiè inquirendum. *Ne, dum verba ſtrictè ſequimur, ſenſum veritatis amittamus.*

IV. STATUS RATIOCINATIONIS

eſt, cùm res, quæ non habet propriam Legem, judicatur propter ſimilitudinem ex Legibus aliis: *ut*, Lex eſt: *Parricida culeo inſuatur: ex eadem propter ſimilem rationem judicatur etiam matricidam eſſe culeo inſuendum, etiamſi de eodem peculiaris lex non extet.*

2. Argumenta Confirmationis & Refutationis in hoc ſtatu ſumuntur:

1. A diſtributione, ſive à Toto & Genere.

Sic

Sic Quæſtio eſt, Num infantes ſint baptizandi? De hac autem nullus in Scriptura expreſſus locus eſt, ſunt tamen cognati & ſimiles loci, è quibus per Ratiocinationem à genere, hunc in modum colligimus: Omnes gentes ſunt baptizandæ, *Matth.* 18, 29. Ergò etiam infantes. *Sic, licitumne ſit Chriſtianis bella gerere, judicia ſequi & controverſias forenſes tractare: nullo expreſſo loco in Scripturis deciſum eſt: Ratiocinatione autem à toto ſic inferimus:* Evangelium non abolet Politias, judicia, & judices, ſed approbat: E. & eorundem partes: bella gerere, cauſas in foro agere, &c.

2. A cauſis.

Sic Chirurgus ex morte ejus, cujus pedem abſciderat, cædis accuſatur. Defendit ſe ex cauſa ſperatæ valetudinis.

3. A comparatis.

A ſimilibus. *Vt, non licet hæredibus pecuniam civitati ad ſpectacula legatam repetere. E. nec legatam ad pios uſus repetere licebit.* Ab imparibus. *Exulem redeuntem occidere licet. E. multò magis flagellare.*

4. A contrariis.

Vt Chriſti regnum erit æternum. E. non erit temporale ſeu mundanum. Nobilis literatus eſt laudandus. E. Cyclops vituperandus.

5. A bona vel mala conſequentia.

Bonâ conſequentiâ utimur in confirmatione Ratiocinationis. Ita pro pædobaptiſmo ratiocinamur ex Iohan. 3. Matth. 18. Omnes qui futuri ſunt hæredes regni cœlorum, neceſſe eſt renaſci ex aqua & ſpiritu, *Ioh.* 3. Atqui infantes fiunt hæredes regni cœlorum, *Matth.* 18. *Talium eſt regnum cælorum.* E. Infantes neceſſe eſt renaſci ex aqua & ſpiritu. *Malâ conſequentiâ utimur in Refutatione, cum oſtendimus ἀνακόλουθα & Ratiocinationem procedere à baculo ad angulum: ut cum ex Luc.* 22. *Pontificii argutantur:* Ecce duo gladii hic: Ergo Papa eſt Petri Succeſſor. E. Chriſti Vicarius in cœleſtibus & terreſtribus. E. Super omnes Imperatores, Reges & Principes. E. Omnes Impp. & Reges imperium & regna à Papa accipere debent, &c. Nota: *in Theologicis etiam plurimùm in hoc ſtatu valent Loci Communes ex quibus multa dijudicantur. Vt parentes ſunt honorandi. Ergo clandeſtina connubia improbanda.*

V. STATUS TRANSLATIONIS

eſt, cum non reſpondetur ad rem, ſed opponitur exceptio aliqua. *Seu*; cum Reus litem detrectat.

Græcè dicitur μετάληψις & παραγραφή; ICti vocant ſtatus Exceptionis *ſive* Exceptionem. *Statuitur autem à ICtis Tranſlatio ſive Exceptio duplex :* Dilatoria, *cum actio tantùm differtur, manente interim principali negotio.* Peremptoria, *cùm omnis actio (jus agentis) permittitur & tollitur. Quanquã autem uſus hujus ſtatus, ut plurimum eſt judiciis, in genere tamen monet, non ſemper de re & ad rem eſſe reſpondendum, ſed ſi fieri poſſit quandoque arte, judicii arcem & controverſiæ caput eſſe declinandum: cùm contentionum eventus anceps & dubius ſit.*

2. Argumenta Confirmationis & Refutationis in ſtatu ſumuntur:

1. A teſtimoniis, legibus ſcilicet conſuetudine pactis.

Vt, Lex eſt, bis de eadem re judicium fieri non debere. Ergò non debeo iterum ea de re cauſam dicere.

2. Ab adjunctis circumſtantiis, loci, temporis, perſonarum & rerum.

Vt cùm excipitur tranſlatione dilatoria, vel de competente foro, vel de judice ſuſpecto, vel de actore non habente mandatum, aut dubium mandatum habente : de pupillo ſine tutore: juniore ſine curatore: Vel de longioris temporis mora: Vel de libello inconvenienti & inepto, &c. Sic Sejus accuſatus furti excipit : Locum

judicii eſſe incompetentem. Titium judicem eſſe ſuſpectum, non legitimum. Sempronium accuſatorem non habere mandatum: petit igitur dilationem longioris moræ & temporis, & loci alterius.

3. A contrario ſive remotione & culpa aliena.

Sic Prætor, cujus ſolius agris grandines pepercerant, accuſatur veneficii: opponit ille exceptionem remotionis culpæ alienæ. Factum id eſſe ſingulari gubernatione aëris, quæ ſolius Dei propria, &c. Supereſt.

CAPVT XV.

1. STATUS JUREDICIALIS

eſt. qui oritur ex quæſtione QVALE SIT FACTVM? juréne an injuria: ***ut, an Clodius jure à Milone occiſus ſit; nec ne?***

Dicitur aliàs à Quintiliano ſtatus Qualitatis; *quia hic quidem de facto conſtat, ſed de ejuſdem qualitate quæritur, an jure perpetratum ſit, nec ne? Græcè dicitur* στάσις τῆς ποιότητος ἢ δικαιολογίας. *Ejus ſpecies quidam faciunt duas; quarum* 1. στάσις πραγματικὴ negocialis, cum

cum quæritur de re agenda, recténe & honeſtè fieri poſſit: *ut, an bellum ſit gerendum.* 2 *ςάσις δικαιολογικὴ ſic propriè dicta*, cum quæritur de factis præteritis: *ut, an Horatius jure ſororem interfecerit?*

2. Eſtque duplex Abſolutus & Aſſumptivus.

3. ABSOLVTVS eſt, cùm ſimpliciter factum aliquod de jure defenditur:

Dico ſimpliciter, *ſine ullo ſcil. argumento defenſionis extrinſecus aſſumpto. Græcè dicitur ἀντίληψις & ςάσις ἀντιληπτικὴ.*

4. Loci Confirmationis & Refutationis in hoc ſtatu ſumuntur:

1. A natura, ſive jure naturali, omnibus inſito & ab omnibus recepto.

Sic, juris naturæ ſunt, Deum eſſe timendum: Parentes honorandos: ſe, vitam, corpuſq́; tueri, ac nocitura declinare, &c.

2. A jure ſcripto.

Sive ſint Leges humanæ civiles, è jure civili, quod juſſu & conſenſu populi per viros prudentes ſantitum, vel à Magiſtratu latum eſt, depromptæ. Sive divinæ, quæ in S. Bibliorum codice continentur.

3. A conſuetudine.

Conſuetudo *eſt jus, quod voluntate om-*

nium, ſine Lege vetuſtas propter probabilem rationem comprobavit. Dicitur aliâs τὸ δίκαιον ἄγραφον: Ita conſuetudinario jure apud plurimos adulterium non eſt capitale, utputa Argentinenſ. Francofurtenſ. &c.

4. A judicato ſive exemplis.

Judicatum *eſt decretum ſimile: quod in ſimili caſu & cauſa aliquoties conſtitutum. Sic ex judicato probat Cicer. pro Milon. inſidiatorem licere occidere: quia Lucius Opimius impunè occidiſſet Gracchum civem ſeditioſum.*

5. Ab æquo & bono.

Æquum & bonum eſt jus, quod ad communem æquitatem & utilitatem judicio bonorum dirigitur.

6. A pacto.

Pactum eſt, quod ſine Legibus ex conventu obſervatum, Vlpianus ita definit, eſt duorum pluriumve in idem placitum ſive conſenſus. *Eſto exempli gratia*

Thema Affirmativum.

Manlius Conſul Romanus juſtè capitale ſupplicium de filio ſumpſit, quòd contra Coſſ. & patris edictum extra ordinem pugnaſſet.

Confirm. argum. 1. à Natura. *Quia jus naturæ præcipit, ut Parentibus & Magiſtratibus filii*

filii obediant: ſecus ſi fit, jure ad ſupplicium promeritum trahantur.

2. A jure ſcripto. *Quia Legibus tanquam communi totius civitatis vinculo, omnes cives ex æquo, nullo ſive στοργῆς naturalis, ſive cognationis & affinitatis reſpectu habito, in officio continendi.*

3. A conſuetudine. *Quia tum temporis Parentibus ex veteri more jus vitæ in liberos necisque poteſtas erat permiſſa.*

4. A judicato. *Quia Brutus de liberis ſuis ob proditionem capitale ſumpſit ſupplicium: Nec multis poſt annis Bruti exemplum imitatus pater Spurii Caſſi, qui filium legis Agrariæ auctorem, cognitâ domi causâ, verberibus cæſum necari juſſit.*

5. Ab æquo & bono. *Quia denique hoc ad communem ſpectavit utilitatem, ut filius patris & Coſs. edicto non obediens puniretur, quo aliis exemplo eſſet.*

Concluſ. *Rectè ergo Manlius, &c.*

Thema Negativum.

Emptor non poteſt reſcindere contractum invito venditore legitimum.

Confirm. argum. 1. jure naturæ, *Quia naturæ conſentaneum, ut pactum licitum ſervetur. Contractus autem emptionis & venditionis inter duos eſt pactum licitum.*

2. A jure ſcripto. *Quia in Codice dicitur de contractu venditionis & emptionis jure*

 profecto:

profecto : alterutro invito , nullo recedatur tempore.

3. A jure conſuetud. *Quia in omnibus Rebus-publ. benè conſtitutis ſervatur hic mos , ut contractus jure perfectus , invitâ alterâ perſonâ non reſcindatur.*

4. Ab æquo & bono. *Quia naturalis æquitas poſtulat , ut contractus ſervetur , in quem utraque pars conſenſit.*

5. A pacto. *Adde quod cum uterque conſentiat in venditione & emptione ex pacto, emptor non poteſt ab ea recedere. Quia quod ſemel placuit , amplius diſplicere nequit.*

Concluſio. *Quod cum ita ſit , &c.*

Exemplum Orat. Cicer. pro Milone , quod jure interfecit Clodium , tradit *D. Chytræ. fol.* 154. & latius deducit *Dreſſer. fol.* 171. *& ſeq.* Orat. pro Ligar. *fol.* 174. Alia exempla habet idem , Licurgi , accuſantis Leocratem perfidiæ in patriam , quod eam in periculis deſeruit , *fol.* 175. Æſchinis , arguentis Cteſiphontem ſcripſiſſe injuſtum & falſum decretum de coronando Demoſthene , *fol.* 176. Agamemnonis , recuſantis reddere Chryſæ Apollinis Sacerdoti filiam Aſtynomen , *fol.* 178. An Julius C. juſtè interfectus , *fol.* 179. An Abraham juſtè ſuſceperit bellum contra quatuor Reges , Gen. 14. *fol.* 185. An Moyſes juſtè occiderit Ægyptium , Exod. 2. *fol.* 187. An Naboth jure denegârit vineam Achabo , 1. Regum 2. *fol.* 188. An juſtum ſit cenſum dare Cæſari,

fol.

fol. 189. Orat. Contrar. pro Ordinibus Belgii adverſus Hiſpanos:& pro Hiſpanis adverſus Belgas, habet *Scholl. Schol.* 31. Judicium de capite & ſalute Platæenſium è Thucyd. lib. 3. in utramque partem diſputatum, habet *D. Chytr. Rhetor. fol.* 158.]

4. ASSUMPTIVUS eſt, cum factum quidem fatemur, ſed aſſumptâ re externâ defendimus: *Sic* Eva *in Paradyſo fatetur ſe comediſſe de pomo vetito, ſed deceptam & impulſam à ſerpente.*

[*Græcè dicitur* ἀντίθεσις *ſeu* πίστις ἀντιθετικὴ εἰ προσληπτική.]

6. Loci Confirmationis & Refutationis ſunt quatuor.

1. Confeſſio.

[Confeſſio *eſt cum Reus crimen fatetur, poſtulat ſibi ignoſci. Ejus verò partes ſunt duæ, Purgatio & Deprecatio.* Purgatio eſt, cum negamus dolo vel conſultò factum, ſed vel per fortunam, vel ignorantiam, imprudentiam, aut neceſſitatem: *Vt interfeci, ſed hoſtem putavi: transfixi quidem, ſed petiturus jaculo feram. Sic Paulus defendit, quod per ignorantiam Pontificem parietem dealbatum nominâſſet.* Deprecatio eſt, cum ſimpliciter miſericordiam & clementiam petimus.

Quo

Quo in caſu loci occurrunt pro Accuſatore. 1. Adjuncta. *Non dignum eſſe hominem veniâ, qui ſemper fuerit malus.* 2. Cauſæ; *omnia ipſius beneficia deleta eſſe maleficiis.* 3. Exempla; *veniam eſſe datam nulli in caſu ſimili.* 4. Locus communis, *de incommodis: de officio judicis.* Loci defenſionis. 1. Adjuncta. *Commendatione perſonæ deprecantis: eſſe benè meritum: virum bonum: utilem Reip. familiæ honeſtæ, habere cognatos, affines & amicos illuſtres.* 2. Conſequentia: *Vtile fore Principi, Magiſtratui: ceſſurum in laudem miſericordiæ: ſecuturam vitæ emendationem.* 3. Cauſæ: *peccaſſe non odio malo, ſed ſtultitiâ, imprudentiâ, alio inſtigante.* 4. Comparata & exempla *multis veniam in ſimili caſu datam: ſatis dediſſe pœnarum.* 5. Locus communis *de humanitate, miſericordia, &c.*]

2. Tranſlatio.

3. Remotio criminis.

[Tranſlatio eſt, cum factum fatemur, ſed dicimus nos laceſſitos aliorum injuriis, vi, aut contumeliis id feciſſe: *Sic Oreſtes ait, occidi matrem, quia illa occidit prius patrem. Sic Cicero defendit Milonem, quod vi coactus, defendendi ſui cauſa, occiderit Clodium.* Remotio criminis eſt, cum à nobis non crimen, non factum, ſed culpam ejus removemus, & vel in perſonam vel rem aliquam conferimus; *Sic Opimius, accuſatus quod occidiſſet Tyberium*

Gra-

Grachum, reſpondet, ſe hoc feciſſe juſſu Conſulis. Tale eſt illud: perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia. *Quo in caſu occurrunt* loci pro Accuſatore. 1. *Fortuna ſua quiſque faber eſt.* 2. Cauſæ; *non alieno, ſed proprio impulſu factum eſſe. Potuiſſe reum judicio, non violentia rem experiri.* 3. Adjuncta, *an is, qui impulſiſſe dicitur, tantæ fuerit auctoritatis & potentiæ, ut reſiſti ei non potuerit; eſſe amicis obtemperandum, ſed ad aras uſque.* 4. Conſequentia: *futura mala, incommoda.* 5. exempla: *Non exemplis, ſed legibus agendum. Nec videndum quid fiat, ſed quid fieri debeat.* 6. Locus communis *tractandus de incommodis, virtute colenda, de Legibus, Magiſtratu &c. Loci defenſoris contrario modo pertractandi.*]

4. Comparatio.

[Quando in nos quidem culpam rejicimus, ſed ex duobus malis ſive neceſſariis alterum fuiſſe eligendum, & feciſſe nos dicimus id, quod videbatur eſſe ſatius. *Sic Pompilius ſe defendit comparatione: reliqui, inquit, Gallis impedimenta, quia ſatius eſſe duxi, amittere impedimenta, quàm exercitum: & Cicero in Orat. pro Milone pluribus oſtendit utilius fuiſſe Reipubl. interfici Clodium quàm ſuperſtitem relinqui. Quo in caſu loci occurrunt pro Accuſatore,* 1. Cauſæ: *Cùm oſtendimus, non propter honeſtatem, ſed propter privatum commodum feciſſe.* 2. *Alterum quod omiſſum*

eſt.

eſt, fuiſſe futurum honeſtius. 3. Circumſtantiæ: *Quod reus ſemper avarus, improbus, dubiæ fidei.* 4. Exempla: *Non ullum hactenus extare, qui tale fecerit.* 5. Conſequentia: *Quæ mala conſecutura. Pro defenſore loci priores modo contrario tractandi, videatur* D. Chytræ. fol. 156.

Atqui hæc de Generibus cauſarum dicta pro tempore ſufficiant. De diſpoſitione, quam his ſubjiciunt Rhetor. in genere diximus ſuprà, de partibus Orationis. Dicendum quidem etiam nobis aliquid fuiſſet de imitatione, quæ duplex vulgò ſtatuitur. 1. Rerum, *inventionis ſcilicet & diſpoſitionis exordiorum, amplificationum, ſententiarum, &c.* 2. Verborum, *elocutionis ſcil. puritatis ſermonis Grammaticæ, &c. in qua præcipuè imitandi Terent. Plautus, Cæſar, Livius, Saluſtius, Cicero & alii: Item, de Generibus dicendi, quorum tria ſtatuuntur.* 1. Humile, *cum locutione Orationis familiari & facili in rebus familiarioribus utimur. Quo excellit Terentius, Eraſmus in Colloq. Cicer. in Epiſt.* 2. Grande, *cum copioſo Orationis habitu ac ornatu in rebus gravibus utimur. Quo excellit Livius & Cicer. in Orat.* 3. Mediocre, *cum mediocritatem inter humile & grande dicendi genus obſervamus, quo excellit Ovidius, Eraſmus in declamat. Cicero in Orat.*

Verum & hæc & illa & iſta projecto pede tranſilientes ſecundæ curæ reſervabimus.

APPEN-

APPENDIX.

PÆDAGOGIS SALUTEM & AMOREM.

MEntionem feci, Pædagogi, in Explicatione cap. 2. exercitationis Oratoriæ practicæ: cujus uſum inſignem tum deprehendi, cum in illuſtri Pædagogio Gieſſeno ejuſdem experimenta menſtrua olim facerem. Non potui igitur, quin in Bonum juventutis ſcholicæ publicum typum ejus, vobis rudi ſaltem, quod dicitur, Minervâ, delinearem, eoque ipſo ad praxin conſimilem inſtigarem. Legite delineata, expendite, pro nutu veſtro, ad diſcipulorum veſtrorum captum applicate: Mutate etiam, prout vultis, & meliora his noſtris ſubſtituite, ſi poteſtis. Poteritis maximè, ubi induſtriam ſingularem exercitio huic practico impenderitis, captui item diſcipulorum veſtrorum, id quod caput rei eſt, omnia accommodaveritis. Tentate, nec vos laboris, nec diſcipulos veſtros exercitamenti hujus unquam pœnitebit, ſcio. De eâdem namque fideliâ, duos, quod ajunt, parietes dealbabitis: dum non tantum Rhetoricum, cum Grammatico, ſtylum diſcipulis veſtris

veſtris familiariorem reddetis, ſed & Oratorium varianda, amplificanda ac dilatandæ ſententiæ alicujus modum, illis ipſis, quaſi aliud agendo, inſtillabitis. Dicam tamen vobis, Pædagogi, aliquid in aurem: Res hæc, ſi ſeriò eam perſequi modò volueritis, tædii & laboris plena eſt. Cavete ergò, ne ad primum ductum manum hîc de tabula ſubtrahatis: Hoc potius toti agite, ut moroſâ eam deligentiâ, etiam ad faſtidium uſque, prematis, preſſam ſtudiosè continuetis, continuatam feliciter abſolvatis. Quod, ut bono cum Deo fiat, ex animo vobis adprecor. Ita agite: Ita valete: Ita iterum atque iterum ſalvete, ab eo, qui ſalutis veſtræ impensè cupidus eſt, C. D. D.

THEMA AMPLIFICATIONIS.

Queritur: *An Parentes ſint honorandi?*

IN tractatione hujus Thematis *inquirendum* I. quæ ſit inter *ſubjectum & prædicatum* affectio. *Subjectum* autem eſt: *Parentes: prædicatum: honorari.* Inter hæc duo intercedit aliqua χέσις & habitudo, ſunt igitur Argumenta Logica: hæc ſunt duplicia; vel artificialia, vel inarti-

inartificialia. Non ſunt inartificialia, quia vis arguendi inter hæc duo non eſt aſſumta ab argumento artificiali, vi cujus ſe invicem arguerent. Erunt ergò artificialia, quia *Parentes* ex ſe arguunt *honorem*, & viciſſim hic illos. Porrò cum artificialia ſint vel prima, vel orta, qualia ſint, quæritur? non ſunt orta, quia vim arguendi è primis non trahunt, nec poſſunt referri ad conjugata, vel ad notationem, vel ad diſtributionem, vel ad definitionem, ut quilibet videt: Erunt ergo prima, ſunt enim ſuæ originis, neque enim monſtrari poteſt habitudinis alia origo. Prima ſunt vel ſimplicia vel comparata. Comparata non ſunt, qui duo hi termini: *Parentes honorari* non comparantur ratione quantitatis & qualitatis. Erunt ergo ſimplicia: ſimpliciter enim & abſolutè citra collationem conſiderantur. Simplicia ſunt vel conſentanea, vel diſſentanea. Diſſentanea non ſunt, quia *Parentes & honor* non diſſentiunt, ſed conſentiunt, ſunt ergo conſentanea. Si conſentanea conſentient vel abſolutè vel modo quodam. Non abſolutè. E. modo quodam. Habebunt itaque ſeſe ut Subjectum & Adjunctum.

Inquirendum II. quid nomine *ſubjecti* & *prædicati* intelligatur. Per *Parentes* autem (ſubjectum) intelliguntur. 1. Parentes noſtri naturales. 2. Tutores & Curatores pupillorum. 3. Eccleſiæ Miniſtri & Paſtores. 4. Profeſſores & Præceptores, 5. Magiſtratus Politici, eorumque Officiales. 6. Patresfamilias. 7. Majores & ſe-

niores

niores. Per τὸ honorare (prædicatum) intelligitur omnis cultus, reverentia, obſervantia, dilectio, timor, quo alium proſequimur.

III. Subjectum & *Prædicatum* per locos inventionis deducenda.

1. *Subjectum: Parentes.*

Deductio per locos inventionis.

In loco de *cauſa efficiente: Parentum cauſa Remota* eſt Deus, à quo tanquam à primo fonte promanant: *Proxima* vel eſt Natura intercedente legitimo matrimonio primo inde oriuntur Parentes naturales: vel matrimonio ſecundo aut tertio: unde ſunt vitricus & noverca: vel omnis ille reſpectus inter ſuperiorem & inferiorem, quo pacto ſuperius recenſiti Parentes appellantur. *Materia Parentum* non facilè conſtituetur alia niſi ſubjectum, quod paternitatem aut maternitatem recipit. *Forma Parentum* eſt illa ipſa Relatio, qua Parentes liberos reſpiciunt ratione generationis. *Finis Parentum* & ſcopus præcipuus eſt 1. propagatio generis humani, inprimis verò propagatio ſtemmatis nativi. 2. Ut filii evadant viri integri & honeſti, qui aliquando Reipublicæ & Scholæ poſſint eſſe emolumento. 3. Ut è felicitate & ſalute capiant vitæ ſolatium & gaudium, ut habeant, unde ſeſe in ſenectute delectent. *Effecta Parentum* ſunt filii, quibus poſt Deum vitam communicant. Deinde omnis generis labores, quos filiorum cauſa ſuſtinent, in geſtando, pariendo, lactando, nutriendo, edu-

educando, contra vim & injuriam defendendo, in Domino fideliter inſtituendo, nullis ſumptibus parcendo.

Subjectum Parentum conſtitui poteſt locus, in quo vivunt: in quo ſunt vel prognati, ut eſt Propria illorum patria, vel alia ratione in hunc ipſum divina DEI providentia devenerunt.

Adjuncta Parentum ſunt quamplurima. 1. Eſt naturalis στοργὴ & implantatus amor, quo omnes Parentes liberos ſuos proſequuntur, ut pauciſſimos invenias, qui eodem ſummo non flagrent ardore. 2. Ingenii dotes, utpote egregiæ virtutes, ſapientia, prudentia, experientia, doctrina, eruditio, item qualitates contrariæ ſtupor, impietas, avaritia, ignorantia, ſcelera, flagitia. 3. Status vitæ: ut ſunt officii dignitas, Electoratus, Principatus, Conſulatus, Duumviratus, Senatoria eminentia, Tribunatus, Dignitas militaris, officia Eccleſiaſtica & Scholaſtica: item Mercatura, aut certe ars quævis manuaria, & ſi quid eſt aliud.

4. Ratione fortunæ: divitiæ immenſæ, paupertas triſtis, vel ſtatus intermedius.

5. Ratione corporis: ſanitas vel ægritudo.

6. Ratione ætatis: hæc eſſe poteſt à primis annis conjugii uſque ad dies vitæ; unde etiam plerunque eſt ſenectus per ſe multis vitiis laborans.

Diverſa

Diverſa ſunt: Divitiæ, paupertas: ægritudo, ſanitas, dominium, dignitas publica &c. Sic dico v. g. rectè: Quanquam ſit dives non tamen eſt parens.

Diſparata ſunt: Parens, Angelus, liber, arbor, &c.

Contraria ſunt quadruplicia: *Relata: Adverſa: Privantia: Contradicentia. Relata Parentum* ſunt liberi tàm filii, quàm filiæ. *Adverſa* ſunt: omnes illi, qui, cùm Parentes eſſe deberent, prorſus contrarium agunt. *Privantia* ſunt: Parentes ſteriles. *Contradicentia*: Parentes non Parentes.

Paria: Parentes conferendi cum Parentibus: in eo conveniunt, quod omnes ſive divites, ſive pauperes ſint, poſt Deum vitam filiis communicent.

Imparia: Majora & Minora ſunt: Parentes & alii Benefactores: Deus & Parentes.

Minora & Majora ſunt: Parentes brutorum animantium: & hominum genitores.

Similia: Parentes ſimiles ſunt herbis, quia ſicut in his humor aſcendit, & herbis dat vigorem: ita amor Parentum in filios aſcendit, inque iis viget & floret.

Similia quoque ſunt Parentes & corona: Parentes & clypeus: Parentes & Sol.

Conjugata ſunt: Pater, Parens, paternitas, paternus, paternè: parens eſt concretum: paternitas & maternitas abſtractum.

Notatio:

Notatio : Pater Græcè dicitur πατὴρ, Hebr. אב à Radice ארה, id eſt voluit, affectum & propenſionem habuit ; quod Parentes ſingulari affectu filios proſequantur.

Diſtributio : Parentes ſunt vel naturales, vel non naturales, ut vitricus & noverca : ſunt vel divites, vel pauperes, &c.

Definitio: Parens eſt, qui habet filium vel filiam.

Teſtimonium : Parentes ſunt certiſſimi teſtes de filiorum obedientia vel inobedientia.

II. *Prædicatum: Honorari* ſive *honor.*

Deductio per locos inventionis.

Honoris cauſa efficiens : eſt 1. DEUS : tanquam cauſa prima, honorem Parentum graviter injungens. 2. Natura impellens. 3. Filius honorem & reverentiam exhibens : Item filialis amor.

Materia circa quam honoris eſt Deus, Magiſtratus, omneſque ſuperiores : illius tamen de quo nobis ſermo : Parentes maximè naturales.

Forma honoris : non ſolùm conſiſtit in externa geſtuum & verborum reverentia & obſequio, ſed principaliter & radicaliter in interno cultu, cum quis ex animo & ſincero pectore ſeſe in omnibus, quæ contra Deum non ſunt, Parentibus ſubmittit : conſiſtit 1. itaque in corde. 2. in ſermone. 3. geſtibus. 4. opere

quocunque externo: Alii hos conſtituunt gradus 1. eſt interior reverentia Epheſ.6.1. 2. exterior honor, Eccleſ.3.8. 3. Amor, Matth.10.37. 4. Obedientia, Epheſ. 6. 1. 5. ἐπιείκεια patiens æquitas. 6. Gratitudo.

Finis honoris Parentum eſt. 1. vitæ longævitas; quam Deus ipſe promiſit: Honora patrem, ut ſis longævus, &c.

2. Præmia cœleſtia & ſpiritualia: pietas enim (cujus honor & reverentia erga Parentes non minima eſt) habet promiſſionem non tantùm hujus, ſed & futuræ vitæ, 1 Timoth. 4.8.

3. Parentum Authoritatis conſervatio. Eum enim in finem ſunt honorandi, ut Authoritas Parentum conſervetur.

4. Ut & filii aliquando ſimiliter, cùm facti fuerint Parentes, à liberis honore afficiantur.

5. Ut declarent filii debitum obſequium.

Effecta honoris ſunt 1. Amor Parentum maximus, quem obediendo filii ſibi conciliant. Quis enim inter Parentes reperitur, qui filium morigerum, non intimè amet?

2. Bona famæ exiſtimatio tùm apud Deum, tùm apud homines.

3. Conſcientiæ bonitas, quâ dulcius in terra non invenitur.

Subjectum honoris: ſunt Parentes, quibus exhibetur.

Adjuncta honoris ſunt 1. Sinceritas. 2. Comitas. 3. Facilitas. 4. Excellentia &c.

Diverſa

Diverſa ſunt: Honorare Parentes, deligere Deum: Obedire Magiſtratui: amare ſeipſum.

Diſparata ſunt: Honor Parentum: Amor proximi: Caſtitas: Liberalitas, &c.

Adverſa ſunt: Parentum contemptus, deſpectus, aſperitas, iniquitas, immodeſtia: parricidium: percuſſio Parentum, imò quævis contumelia.

Relata ſunt: Paterna στοργὴ nutritio, educatio, authoritas Parentúm, in genere ſuperioritas.

Contradicentia: Non honorare Parentes in univerſum.

Privantia ſunt: ἀστοργία: obedientiæ intermiſſio: honoris debiti omiſſio: neglectus officii: item hypocritica ſimulatio: in hac enim eſt defectus honoris ſinceri.

Paria ſunt: Honor Parentum, pietas, timor Dei, omniumque virtutum amor. Paria ſunt, inquam, quia conveniunt ratione ſubjecti, itemque ratione præmiorum, quæ ab illis expectanda.

Majora ſunt: Honor Deò exhibendus: & honor Parentibus debitus.

Minora: Honor Parentum. Honor Fautorum, Amicorum, Benefactorum, &c. Item Honor brutorum animantium erga genitores.

Similia ſunt: Honor Parentum: Spiritus & animus in corpore: conſervare corpus: con-

ſervare familiam. Item: Corona: exornare caput: Honor Parentum: exornare domeſticam familiam.

Conjugata: Honor, honorare, honoratus, honorifice, honorandus. Abſtractum: Honor: Concretum: honorificus, honoratus, &c.

Notatio: Honor vel honor ab Hebræo הוֹן, id eſt, utilitas, facultas, opulentia aut opes labore aut conatu partæ, à radice הון, hoc eſt, magnopere conatus eſt, laboravit: item procreavit.

Diſtributio: Honor Parentum licet ob nativitatis ortum, quem æqualiter omnes à Parentibus ducimus. ſit æqualis, tamen ratione ſtatus, conditionis variat. Ita majore honore afficiet Parentum ſuum iſte, cujus parens eſt in eminente dignitate conſtitutus, quam ille, cujus parens in obſcuro latitat.

Definitio: Haberi poteſt illa, ex iis, quæ ſupra de forma dicta ſunt.

Teſtimonium: Extant hinc inde in ſacris & profanis de honore & reverentia erga Parentes quamplurima, quæ ut hic conflaremus, noſtri inſtituti ratio non fert.

IV. Syncategoremata, quod attinet, quæ nihil aliud ſunt, quàm vel Subjecti vel Prædicati deſcriptiones & determinationes, ex hactenus dictis, facilè prodeunt, ita ex loco Adjunctorum ratione ſubjecti hoc promanat ſyncategorema. Parentes, qui longo rerum uſu edocti,

edocti, experientia & ſapientia pollent, meritò ſunt honorandi. Ita ex parte Prædicati ex loco Adjunctorum enaſcitur tale ſyncategorema: Parentes ſunt honorandi, eo honore, qui ex cordis pectore propullulat, quique ſua dignitate omnem alium honorem (ſi illum, qui Deo debetur, exceperis) ſuperat & antecellit.

V. Si quis hic nudam rei variationem intenderet, & ſolùm terminos ſimplices per vinculum verbi conjungeret, ampliſſimam & copioſiſſimam propoſitionum & probationum ſegetem haberet, ut verba in tanta copia vix deeſſe poſſint. Sed ad rem.

VI. Quemadmodum verò in bello non ſufficit armorum copia, niſi, quo loco, tempore, quâ ratione etiam modo ſint uſurpanda, monſtretur, ita & hîc nondum ſufficit copia argumentorum eſſe inſtructum, ſed inſuper requiritur, ut probè ſciatur, quæ argumenta, & quo in loco ſint adhibenda. Quod quomodo fiat, ex genere cauſæ ad quod pertinet, facilè dignoſcitur.

VII. Digrediendo inſuper ad genera cauſarum ad *deliberativum* thema noſtrum referetur: verſatur enim in ſuadendo, Parentes ſcilicet eſſe honorandos.

VIII. Percurrendo itaque locos inventionis ſupra tactos, & in genere deliberativo præſcriptos argumenta exinde depromemus ſequentia.

I. A cauſa efficiente, tùm ex parte Subjecti, tùm ex parte Prædicati, quæ 1. Deus: Ut Parentes honoremus, non cujusvis relictum eſt arbitrio, ſed ſeveriſſimè adeò omnibus eſt injunctum. Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus &c. confer Syr. 3. c. v. 8. 9. Exod. 20. c. v. 12. Malach. 16. c. &c.

2. *Natura.* Natura ipſa nobis dictitat ſuperiores & Parentes noſtros eſſe honorandos, quam non immeritò evertere conatur ille, qui Parentibus debitam obedientiam non præſtat. Amplificari hoc poteſt à minori ad majus: ſpeculum hujus rei in ipſis ciconiis, quæ omnium judicio gratitudinis erga Parentes exemplum proponuntur. Si igitur ipſæ ciconiæ (ut animalia bruta ſilentio præteream) Parentibus reverentiam deberi agnoſcunt, quidni & nos qui rationales conditi.

II. A cauſa finali: ex parte Subjecti. Quia Parentes eò unicè tendunt? ut 1. genus humanum & ſtirps nativa propagetur. 2. ut filiorum ſalus procuretur. 3. ut ex filiorum ſalute habeant, unde ſeſe in decrepita ſenectute recreent. At inconveniens & contra omnem rationem, non honorare illum, à quo & per quem ſtirps noſtra in ulteriorem ætatem extenditur: poſthabere illum, qui de ſalute noſtra dies noctesque tàm ſolicitè laborat: per deſpectum & contemptum omnem ſpem auferre ei, qui omnem ſpem in nobis repoſuit.

Ex

Ex parte Prædicati. Eum in finem debita reverentia Parentes ſunt proſequendi 1. ut donemur vitæ diuturnitate ſecundum promiſſionem annexam : Honora Patrem , &c. ut ſis longævus, &c. 2. ut certam remunerationem à Deo, qua nihil optabilius eſſe poteſt, in vita æterna ſperemus. 3. ut conſervemus gravem Parentum Autoritatem; quo & à reliquis filiis & ſervis , imo integra familia ſuſpiciantur. 4. ut & nos cum Deus ex ſua gratia nos Parentes eſſe juſſerit , à filiis debito honore afficiamur. 5. ut tandem divinis & humanis ſtatutis nos obtemperantes eſſe declaremus.

III. Ad effectis: Ex parte Subjecti. 1. Parentes communicarunt nobis poſt Deum vitam, quæ inter omnia bona & munera, quæ habemus & poſſidemus, longè maxima, quidni ergo honore digni, à quibus, quicquid habemus, accepimus? 2. Parentes omnis generis labores noſtri cauſa ſunt perpeſſi: quidni grata mente acceptaremus?

Ex parte Prædicati. 1. Amorem Parentum, qui morigerus eſt , mirificè auget , donec in tantum excreſcat, ut vix à proprio poſſit diſcerni. 2. Excitat bonam famam ſibi apud omnes. Aſt bonâ nominis exiſtimatione nil præſtantius.

IV. Ab Adjunctis : Ex parte ſubjecti. Honorandi utique ſunt illi, quibus amor erga nos à natura eſt inſitus, qui enim & hic non

ἀντιφίλυσιν, redamationem & mutuam dilectionem requireret ? illi, qui ætate, ſapientia, prudentia & experientia nos longè antecedunt: at tales ſunt Parentes illi, qui ſive in dignitate conſtituti, nobis quoque ſunt honori, ſive inferioris & obſcurioris notæ, nobis tamen non ſunt dedecori: at tales ſunt Parentes. Hic per occupationem occurrendum eſt illis, qui vel de Parentum conqueruntur nequitia, avaritia, moroſitate, ſceleribus & flagitiis nonnunquam notoriis. Verum anne propterea non honorandi ? Imò eo majore honore afficiendi, ut exinde anſam habeant in veram viam revertendi: Inſuper annon etiam à Patre peſſimo vitam tamen, rem optimam accepiſti ? Qui ergo ob unum alterumve vitium, tam indigna res cogitanda, ne dicam ipſo opere perpetranda ?

Ex parte prædicati. Honor 1. Parentum non tantùm habet difficultatem, ut præſtari non poſſit, ſed cum ſolùm in vera obedientia conſiſtat, facile à quovis exhibebitur. 2. Nil inſuper jucundius eſt, quàm ſponte Parentibus obedire & proprio motu id agere, ad quod aliàs natura ſumus obſtricti.

Hæc argumentorum pondera longius diducenda ſunt, & amplificanda ac illuſtranda variis modis: imprimis verò troporum & figurarum tàm dictionis quàm ſententiæ ſplendore exornanda: quorſum faciunt plurimi, reliqui inventionis loci; ut eſt ab Adverſis, à privantibus;

tibus; ab imparibus, à ſimilibus &c. Locus à cauſa formali propriè huc non pertinet, cum non ad quæſtionem, An, ſed quomodo Parentes ſint honorandi, pertineat: unde etiam meritò omittitur.

In Epilogo tamen, ubi admonitio potiſſimum locum habet, depromi poteſt, & attendi, quomodo Parentes vero & ſincero non ficto honore afficiantur.

ORATIONIS HABITUS Tropologicus & Figuratus.

Cum hactenus non ſolùm uberrima argumentorum cohors in medium fuerit adducta, & quomodo conquirenda ſint, monſtratum, ſed & quæ ex tanta farragine ſint eligenda, declaratum; ſupereſt, ut quomodo Orationis habitu nuda illa argumenta ſint induenda, adjiciamus: ſicut enim veſtis virum: ita habitus Oratorius Orationem mirificè exornat; cunctiſque gratam reddit. Conſiſtit autem ille (ſupponendo phraſium optime inſtructam ſupellectilem) in elegantia troporum & figurarum, id quod in præſenti noſtro themate oſtendemus. Variabitur itaque illud per tropos quatuor hoc modo.

I. *Ex Metonym. eaque* 1. *Efficientis*. Nolite quicunque Deo grati eſſe vultis, *filialis* erga Parentes *amoris* oblivisci: hoc enim ubi feceritis, annon *naturam* ipſam contemnitis, ac pedibus conculcatis? *Iramque* Altiſſimi provoca-

tis. Filialis amor pro honore, qui exinde oritur: Item: Ira pro pœna quam efficit. Item: Natura pro parentibus.

2. *Materiæ*. Ita corruptum eſt *ſemen humanum*, ut ferè nemo hominum inveniatur, qui genitoribus ſuis debitum honorem attribuat. *Semen humanum pro hominibus ex ſemine humano oriundis*.

3. *Effecti*. Merito Parentes à filiis ſunt honorandi: honor enim qui Parentibus exhibetur, quid aliud eſt, niſi *vita filiorum longæva, laus, honor, & decus ubique*, hoc eſt, *honor eſt cauſa vitæ longævæ, laudis, honoris & decoris*.

4. *Subjecti*. Honor Parentibus exhibitus, facit, ut *domus, & agri filiorum*, & omnia, quæ poſſident, vigeant & floreant. *Domus & agri pro iis quæ domus & agri continent*. Item: Ne *incunabulis* quidem indulgendum, ut Parentes contemnant, ne dicam confirmato judicio. *Incunabula* pro *pueris & Adoleſcentibus*. Item. Anne *terram* aliquam, aut *regionem*, imo *unicam domum* reperies, quæ Parentes debito honore afficiat? *terra, regio, domus, pro inhabitatoribus*.

5. *Adjuncti*. Euge *imprudens juventus*, ſi *paternam* στοργὴν & *implantatum amorem* contempſiſti; *adultior ætas* errorem corrige, & *venerandam Parentum ſapientiam* debitis honoribus & filiali obſervantiâ exorna. *Iuventus pro juvenibus*. *Paterna* στοργὴ *pro Parentibus*.

Parentibus. Adultior ætas pro adulta: veneranda ſapientia Parentum, pro Parentibus ſapientibus.

II. Ex ironia. Sic ſane *benefacitis* filii immorigeri, qui Parentibus veſtris ſceptrum è manibus eripitis, illorumque poteſtatem vobis attribuitis, qui veſtros Parentes eo redigitis, ut vobis obtemperare cogantur. *Res ſane hæc eſt optima*; ſic; ſic aliquando *in viros evadetis*, qui omnibus terrorem incutient, quorum *nomen ad cælum uſque evehetur. Non puniet* Deus iſtud in vobis, ſed maximis *beneficiis remunerabit.*

III. Ex Metaph. Quid quæsò Parentes aliud ſunt, quàm *ſtirps*, ex qua nos *rami* ſumus prognati, *firma columna*, qua innitimur: *ſplendida domus & familiæ corona*, qua exornamur.

Item. *Portentum atque monſtrum* certiſſimum eſt eſſe aliquem humana ſpecie & figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut propter quos hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſime luce privarit: cum etiam feras inter ſeſe opertus atque educatio & natura ipſa conciliet. Cicer. pro Roſc. Amerino.

IV. Ex Synecd. 1. membri pro integro. Væ filio, qui *animam* Parentis inobedientia ſua triſtitia affligit. *Anima Parentis pro Parente.* Item. *Oculum* ejus, qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, ſuffodiant

cum corvi de torrentibus, & aquilæ pulli devorent; Prov. 30. *Oculus ſubſannatoris*, pro *ipſo ſubſannatore*. 2. *Speciei pro genere.* In ipſa thematis propoſitione continetur Synecd. ſpeciei pro genere, ponuntur enim *Parentes* pro *omnibus ſuperioribus*. 3. Synecd. generis pro ſpecie: Nullus honor eſt, quo Parentes digni non ſint, ſive quod idem. Parentes *omni honore* digni ſunt, *omnis honor*, pro *illo honore qui in ſpecie à liberis requiritur*.

VARIATIO PER FIGURAS DICTIONIS.

Epizeuxis.

Parentibus verus exhibetur honor, benè de illis *ſentiendo*, honorificè *tractando*, *amando*, *obediendo*, nævos & infirmitates patienter *tolerando*.

Item. *Parentes*, *Parentes inquam* ſunt illi, quibus reddi æquivalens non poteſt.

Item. Inveniuntur tàm contumaces & pertinaces homines, qui callum obduxerunt, qui non ſolùm illas, quibus cum comiter verſantur, ſed & ipſos *Parentes* (*quod ſcelus tum in bruta quidem animantia cadit :*) ipſos *Parentes inquam*, à quibus mortalem hanc vitam acceperunt, contemnunt.

Ana-

Anadiploſis.

Non heri demum aut nudius tertius injunctum eſt filiis, *ut Parentes honorent: ut Parentes honorent* ad finem uſque mundi ab illis requiretur.

Item. Æterna beatitudine omnes filios obedientes Deus *coronabit*: *coronabit* eos gloria & honore in æternum.

Climax.

Ut Parentes legitimo honore afficiantur, ſciendum omninò eſt illos externis geſtibus *honorificè excipiendos*; neque *externis geſtibus* ſolùm, ſed *dulci verborum ſuavitate*; neque *verborum ſuavitate*, ſed *& ipſo corde* reverenter habendos.

Item. Magnam Deo juſtiſſimo judici aliquando reddent rationem illi, qui Parentes eo loco, quo à Deo conſtituti, non habent: *neque hoc ſolùm*, ſed *& verbis duris*: neque *verbis duris ſolùm*, ſed *& geſtibus moroſis eos* excipiunt; *neque hoc ſolùm, ſed & odio proſequuntur, neque hoc ſolùm*, ſed *& variè lædunt, neque hoc ſolùm*, ſed *& planè percutiant*: imò quod mirandum, quandoque vi armata prorſus è medio tollunt.

Anaphora.

Grata eſt filialis reverentia Deo, à quo mandatur: *grata* hominibus, qui eandem

obſervant, & hinc de virtutibus aliis fiduciam capiunt: *grata* Parentibus quibus ex merito exhibetur: *grata* tandem nobis ipſis ubi dulciſſimos ejuſdem fructus ſenſerimus.

Epiſtrophe.

Benefici ſunt *Parentes*, prompti ſunt *Parentes*, prudentes ſunt *Parentes*, liberorum amatores ſunt *Parentes*, quidni igitur honorandi?

Simploce.

Parentum tanta eſt cura filiorum, ut *quando* ignorant, illos *inſtruant*, *quando* errant, eos reducant, quando peccant, eos corrigant, *quando* cadunt, eos erigant, *quando* eunt, ducant, *quando* ſtant, teneant, *quando* veniunt, ad illos, eos ſuſcipiant.

Epanalepſis.

Parentum unicum hoc eſt votum, ut filiorum ſalus promoveatur: & ut filii Reipubl. benè præſint, vitamque honeſtam degant, quæ major cupiditas niſi *Parentum*?

Epanodos.

Majore laude digni ſunt *illi* filii, qui bonis ſimul & auſteris *Parentibus* obedientes ſunt, quàm illi, qui beneficis ſolùm obediunt. *Majori laude digni ſunt illi*, qui *auſteris Parentibus* & *obediunt* & *benefaciunt*, quàm qui tantum obediunt.

Para-

Paranomaſia.

Non ſunt excipiendi Parentes *tumore*, ſed *timore*: non *onere*, ſed *honore*, non *moleſtia*, ſed *modeſtia*, non ſunt *deſpiciendi*, ſed *reſpiciendi*, non *onerandi*, ſed *honorandi*.

Item. Quæ ſit Parentum *fides*, cum ipſe factus fueris Parens, demum *vides*.

Polyptoton.

Paterna cura *Parentes* filios ſuos proſequuntur, meritò igitur, à *filiis filiali* obſervantia ſunt obſervandi.

VARIATIO PER FIGURAS SENTENTIÆ.

Exclamatio.

O utinam tandem omnes liberi Parentes debito honore afficerent: melius ſine dubio res illorum eſſent.

Item: *ô pertinaces! ô contumaces! ô duræ* cervicis filios, quos Parentum tanta non emollit benignitas, tanta beneficentia, tanta amoris flammà, tanti labores, tanta cura. *Væ vobis*, qui Parentes negligitis: *ô miſeras* veſtrûm mentes, ô pectora cœca.

Epanorthoſis.

Honorandi ſunt Parentes verbis & geſti-

bus,

bus, *ſed quid dico* verbis & geſtibus, *imo* interiori cordis reverentia ſunt venerandi & unicè ſuſpiciendi.

Item. Honorandi ſunt Parentes ætate confecti propter experientiam, qua pollent: docti: propter eruditionis laudem, quâ exornati: divites, propter bona quibus à Deo cumulati: alii propter aliud: *ſed quid* recenſeo ſenes? quid doctos? quid divites? *imo omnes* in univerſum dignitate & honore digni ſunt, eò quod nos genuerunt.

Apoſiopeſis.

Anne propterea dignitas Parentum à filiis prætermittenda, quod in hac vita remuneratio filiorum non ſequatur? minimè gentium: Licet enim in hac vita compenſatio non ſemper ſit expectanda, *tamen Deus eſt*, ſcilicet qui compenſabit.

Item. Hem! Scelerati Parentum veſtrorum comtemptores tanto odio adverſus Parentes veſtros flagratis, tàm miſerè illos affligitis. *Ecquid genius eſt, quis ſpiritus, qui animos veſtros?* ſcilicet occupavit.

Apoſtrophe.

Largiſſima quidem præmia tàm temporalia quàm cœleſtia promittuntur omnibus illis, qui mandatorum divinorum ſunt obſervatores: *at vos*, qui Parentibus debitum honorem præſtatis, primas tenetis, palmamque omnium promiſſionum aufertis.

Proſo-

Proſopopoeia.

Quot ſunt filiorum, qui ſunt tam perfrictæ frontis, ut Parentibus ſuis hiſce ferè inſultare verbis non erubeſcant: *Quid veſtrum curamus imperium? quid mandatum veſtrum vos ſilicernia hoc probe noveritis, quod ſecundum placitum veſtrum non ſimus acturi: ſed quæ noſtra ſuadet ætas, noſtrum ſeculum, noſtrum ingenium ſectaturi.*

Item. Erit aliquando tempus, in quo vos immorigeri exclamabitis: *Ah! cur contemſimus, qui nos genuerunt? cur deſpeximus, qui nos magnifecerunt? cur floccipependimus, qui nos educarunt? cur auxilium non tulimus illis, à quo omne auxilium promanavit?* Talia dicetis, ubi pœnitendi locus non erit.

Item. Reſpondebunt aliquando Parentes filiis ejulantibus: dicentes: *Annon hæc verbis prædiximus, quoties audiviſtis à nobis ſalutares admonitiones, graves dehortationes, ſeveras comminationes? An non nos fuimus illi, qui commodum & ſalutem veſtram promovere unicè intenderunt? ſed ſpreviſtis omnia, omnia riſu excepiſtis? quid mirum etiamſi tormenta patiamini.*

Addubitatio.

Sanè ſi & meus calculus eſſet apponendus, ſæpius hoc mecum cogitavi, quinam dignus honor eſſet, qui Parentibus exhibendus: *An is, quo amicus amicum dignatur? imo major: an*

is,

is, quem ſuavis & jucunda excipit converſatio? imo major: an verbis ne dicam re poſſet exprimi? inveniri non poſſe.

Communicatio.

Quid multis, *vos ipſi*, quibus ineſt guttula humani ſanguinis *judicate, annon ſi & vobis nati fuerint filii, debitum honorem ab iiſdem expectatis? & annon ob hoc ipſum obſtricti ſitis & veſtros Parentes debita obſervantia proſequi?*

Occupatio.

Dicat verò aliquis: Parentes habeo tàm moroſos, auſteros, avaros, qui poſſem in omnibus iiſdem obſequi? Verum ſciendum divinum mandatum non exprimere, quod honor ſolùm benevolis ſit exhibendus, ſed in genere dicitur: Honora Parentem, ſive moroſus ſit, ſive manſuetus. Quod ſi moroſi ſunt Parentes, ſæpius plures habent cauſas allicientes; quæ ſi non ſint, tolerandæ erunt infirmitates & nævi, ita ut ne quidem hoc pacto Parentibus honor ſit derogandus.

Permiſsio.

Quandoquidem ita placet, admonitionibus & adhortationibus Parentum locum non relinquere, ſed ventis tradere, contemnere, imo ipſos Parentes verbis & factis lædere, *non ego, curo, non me interponam, tu videris.*

Conceſsio.

Conceſsio.

Eſto, quod difficile ſit omnes Parentum nævos æquo animo ferre, & illis omnia condonare; non tamen propterea ſunt negligendi & poſthabendi.

VARIATIO PER FIGURAS Amplificationum.

Ætiologia.

Non deſpectui habeamus Parentes, *illi enim ſunt*, quos Deus ipſe in verbo ſuo honorari juſſit.

Μετάστασις Tranſlatio.

Diligentem demus operam, ut Parentes debito honore proſequamur, hac enim ratione Deo placebimus, bonam conſcientiam conſervabimus, bonam famam ab omnibus reportabimus. *Verum* bona conſcientia & famæ bonitas quàm egregia hominis ſunt ornamenta & tuta propugnacula *dicam propediem*, ubi meæ huic Orationi & ſuaſioni locum dediſſe ſenſero.

Topographia:

Ecce! Parentes tui non ignobili quodam loco ſunt nati, ſed in illuſtri Suevorum *Vlma*, *quæ & antiquitate & ſitu & ſtructura ædificiorum*

ficiorum ac propugnaculorum excellentia, & amœnitate & civium humanitate ac comitate & forma Politia & Eccleſiæ ac lumine Scholæ & rerum geſtarum ornamentis pluribus palmam præripit, ita ſanè ut vel ipſa loci dignitas obſervantiam quandam ſuadeat.

Item. Nati quidem ſunt Parentes tui in *loco obſcuro & haud multis cognito in exiguo quodam pago*, ſed anne propterea contemnendi? minimè gentium, quin potius ob id vel maximè colendi, quod etiam in locis obſcuris & ignobilioribus inveniantur Parentes pii, qui tibi pietatis tramitem monſtrârint.

Chronographia.

Quod ſi unquam Parentibus ſuccurrendum, certè tum id faciendum eſt *eo tempore, quo calamitatibus preſſi fere ſuccumbunt*, inprimis verò *in ſenectute triſti, ubi tempore præſertim hyemali, quando omnia frigore concreſcunt, & algent, vires illorum exhauriuntur.*

Proſopographia.

Parentes noſtri naturali & implantato amore nos proſequuntur, ſalutem noſtram unicè expetunt, valent prudentia, experientia, conſilio, judicio confirmato, meritò itaque ſuſpiciendi.

Hypotypoſis.

Parentes noſtros vel etiam hoc nomine magnifa-

nifaciamus, quod omnem curam & diligentiam in filiis educandis adhibent; *quoties fit, ut noctes inſomnes ducant, cogitationibus ſuis hinc inde oberrent, gemitus & ſuſpiria ducant, manibus elevatis & flexis genibus Deum invocent, nulli labori parcant, & omnem lapidem moveant ſolum, ut filiorum ſalus procuretur.*

Pathopoeia.

Ecquæ tandem vos carcinomata & immorigeri, non digni, quos filiorum nomine appellem, *malitia veſtros invaſit animos: quæ pertinacia, quæ protervia*, ut veſtris Parentibus quævis mala inferre non vereamini. *Diſpeream*, ſi non hæc DEUS graviſſima pœna eſt vindicaturus.

Ratiocinatio.

Habeatur tandem honor Parentibus, qui *geſtibus, vultu placido, ſermonis ſuavitate, factisque ſuis ſatis declarant, quantam filiorum rationem & curam habeant.*

Παρέκβασις *Digreſſio.*

Parentibus debitum honorem, qui non exhibet, extinguere videtur naturalem amoris flammam, qua filii erga genitores flagrant, quæque flamma in ipſis brutis reperitur. *Sic Ciconia* Parentes ſenecta defectos viciſſim alit & volandi impotentes humeris geſtat

geſtat. *Celebratur* pari modo à naturæ indagatoribus upupæ erga Parentes officium, quos ſenio confectos, volandique impotentes ſedulò curat, pennas vetuſtate jam languidas evellit, præterea oculos cœcutientes herba quadam illinit, unde viribus reſumptis quaſi rejuveneſcunt. Idem prædicatur de aliis. Sed redimus ad noſtrum propoſitum.

Μετάβασις *Tranſitio.*

Atque ita hactenus ſatis, ut puto, fuit declaratum, quæ ſint rationum pondera, quibus moti filij Patentibus debitum obſequium præſtent: *ſupereſt hoc unum*, ut vos ad obedientiam debitam adhorter.

Αντίθεσις *Contentio.*

Colant Parentes ſuos omnes, qui Deo *chari eſſe cupiunt, fugiant inobedientiam*, qui Dei *odium fugiunt: colant* Parentes ſuos omnes, qui *in æternum ſalvari appetunt, fugiant* contemptum eorundem, qui *infernales dolores effugere ſtudent.*

Αντιμεταβολὴ *Commutatio.*

Deus injunxit *filiis, ut parentes honorent, non Parentibus, ut filios honorent.*

Αντιστροφὴ *Inverſio.*

Sunt quidam, qui parentes colendos eſſe

non

non judicant, propter maximos nævos, quibus ſæpius polluti, ſed falsò ſibi hoc illi perſuadent, *eum enim in finem nævi illorum tolerandi, ut vero honore afficiantur.*

Συνοικείωσις Communicatio.

Tàm eſt in vitio, *tamque gráviter* peccat is, *qui Parentes*, ultra quàm par eſt, *ultra Deum ſcilicet amat & diligit, quàm is, qui eos deſpicit & contemnit.*

Ἀποδίωξις Rejectio.

Dicendum equidem aliquid eſſet de forma honoris, qui Parentibus tribuitur, in quo vera ratio ejuſdem conſiſteret, verum cum hoc directè quæſtionem & propoſitum noſtrum non attingat, *idcirco de eo alibi dicemus.*

Παραδιαστολὴ Paradiaſtole.

Magno equidem honore afficiendi ſunt Parentes, *non tamen tanto.* ut illorum gratia vera fidei confeſſio ſit abneganda. [a] *Amandus eſt generator, ſed præponendus creator.*

Ἀνθυποφορὰ Objectio.

Difficile equidem videtur Parentibus in omnibus obedire, & ſub illorum jugo eſſe. *At longè difficilius eſt* Deum per inobedientiam ad iram

a Auguſtin.

iram commovere, & mancipium fieri Diaboli.

Σύγκρισις *Comparatio.*

Bruta animantia ex indita natura ſuos venerantur genitores, ut exemplo ſunt ciconia, upupa, merops: *at hominum multi reperiuntur*, qui Parentes adeo non venerantur, ut potius contemnant.

Διαλογισμὸς *Sermocinatio.*

Primo loco merito ſunt habendi Parentes? *Sed quam ob cauſam? An* ut externâ ſimulatione, glaucoma obducamus? minimè gentium: à vero enim honore abeſto omnis ſimulatio. *An* ut divitias ab iiſdem ſperemus? *Equidem* ob hanc cauſam, præſertim cum fuerint opulentiores, coli poſſe non inficiamur, *ſed neque hæc genuina cauſa eſt*: *An* ut exinde gloriolam expectemus? *Neque hoc: Quam igitur tandem ob cauſam?* nimirum, *ut mandatum Dei obſervemus.*

Μερισμὸς *Diſtributio.*

In honore ſunt habendi Parentes, *ſive* ſint naturales, *ſive* non-naturales, ut vitricus & noverca, *ſive* opibus valeant, *ſive* egeſtate premantur: *ſive* in eminentia ſint conſtituti, *ſive* in numero plebejorum reperiantur; *ſive* ſint incolumes & ſani, *ſive* adversâ valetudine vexentur &c.

Συνα-

Συναθροισμὸς *Congeries.*

Inſignia ſunt illa præmia, quibus Deus obedientes exornabit, *vitæ hujus longævitas, felicitas, ſucceſſus rerum exoptatus, corona cœleſtis & æterna beatitudo.*

Αὔξησις *Incrementum.*

Grande peccatum eſt, Parentes *verbis & geſtibus lædere, grandius in jus vocare:* omnium verò *graviſſimum verberibus & plagis affligere.*

Πρόσληψις *Aſſumtio.*

Cum omnibus ſuperioribus honor & obſervantia debeatur, *tum inprimis illis, qui nos genuerunt*, eadem exhibenda.

Γνώμη *Sententia.*

Nulla virtus eſt, quæ filiis uberiorem adferat utilitatem, majuſque ſit ornamentum: quàm ſi Parentes debito honore proſequantur.

Νόημα.

Mallem *ego* prius mortem oppetere, quàm

tanto crimine *me* polluere, ut Parentibus debitum honorem *ſubtraherem.*

Ἐπεξήγησις *Interpretatio.*

De Parentibus *honeſtè eſt ſentiendum, loquendum, diligendi ſunt & amandi, & nullo non tempore honore afficiendi.*

Ἐξεργασία *Expolitio.*

Non odio habendi ſunt *Parentes*, ſed *amore proſequendi*; nec *genitores* noſtri *contemnendi*, ſed *magnifaciendi*; nec *deſerendi* illi, *qui nobis, cum omni auxilio deſtitueremur, opem præſtiterint, ſed verbis & factis venerandi.*

Ὁρισμὸς καὶ ὑπογραφή *Definitio.*

Parentes noſtri ſunt illi, *ex quibus nos tanquam ex ſtirpe propullulavimus. Vt enim ſtirps ramos ex ſe protrudit, ita etiam Parentes filios ex ſe generant & producunt. Sunt illi, qui à Deo benedicti nobis hujus lucis uſuram communicârunt, à quibus vitam accepimus; imò quibus poſt Deum ſolis, quæcunque habemus & poſſidemus accepta ſunt ferenda.*

Item *Honor* Parentibus exhibendus, *non noſtro arbitrio eſt relictus, ſed ſeverè &*

graviter

graviter à Deo eſt mandatus, reſidet in corde, tanquam in fonte ſuo primario, cujus rivuli poſtmodum conſpiciuntur in verbis, geſtibus, operibus, nec fruſtraneus eſt, & omni prorſus utilitate carens, cum ſecum trahat vitæ longævitatem atque innumera munera & beneficia.

ATque ita vides Lector ſtudioſè, quàm copioſa ſit ratio, & quàm ampla pateat janua ad thema aliquod qualecunque tandem ſit amplificandum, & elegantia troporum & figurarum exornandum, quod ornamentum Orationi tantum ſplendorem addit, tantamque vim commovendi auditorum animos in ſe continet, ut ſatis verbis exprimi nequeat. Quod enim ſunt gemmæ & lapides pretioſi in auro; quod ſtellæ micantes in cœlo: id ſunt tropi & figuræ in Oratione. Quæ verò hactenus tractata ſunt,

non eò collimant, quaſi in una Oratione omnes tropi & figuræ promiſcuè eſſent adhibendi, quod non ſolùm puerile; ſed & ingratum foret: verùm hic eſt ſcopus, ut per hanc viam porta aperiatur, per quam hortum Oratorium ingredimur.

Quemadmodum autem in horto plurimi naſcuntur flores, qui tamen non omnes aut ſine diſcrimine, ſed cum quadam ſelectione ſerto inſeruntur: ita quoque in horto Rhetorico plurimi floſculi Oratorij troporum & figurarum propullulant & naſcuntur,

qui tamen ſerto Orationis non ſine diſcrimine, ſed magno cum judicio, ut nimirum rei ſint accommodati & apti ſunt immiſcendi. Tandem & Rhetorices Studioſos moneo, ut in ejuſmodi variationis modò diligenter ſeſe exerceant, ſi enim aliquot themata dicto modo compoſuerint, brevi videbunt rationem amplificandi & exornandi futuram familiarem. Quod ut eo felicius præſtent, non fruſtraneum laborem ſuſcipient, ſi variationem Grammaticam, prout illa ex Grammatica oritur, & in tranſlatione ſynonymica,

mica, mutatione caſuum, per tempora & modos, itemque regulas Syntaxeos præcipuas deductione, conſiſtit, præmiſerint. Tractationi felicem ſucceſſum largiatur, à quo ſolo Orationis veritas, bonitas & elegantia promanat; cui etiam ſit laus, decus & honor per omnia ſecula,

AMEN.

BIBLIOTECA IN ROMA